& Lucas publicanum a scribit; Pharisæos autem facere noluisse baptizatos à Joanne b: semper ita se humiliare oportere, non sosum die, ac nocte, sed & supra tempus, etiam vel quum quis inter Angelos annumeretur: videlicet illam, quam sit adeptus gloriam, non suis meritis arrogando, sed divinæ miserationi semper adscribendo, quia omnis creatura quæcumque bona habet accepit à Christo, qui totius est Auctor creaturæ. His Hilarius pernotatus ἀφίνια prior scripsit nunc commemoratus ἀφίνια Prophetam rem precari: deniq; ut media cetera omittam, ait in meditationem justificationum perpetuam, & futuram sermonem præsentem procedere, quoniam sciat David in cœlo omnes Angelos in meditatione justificationum Dei esse: nihil enim illic otiosum nihil inerse esse, omnes virtutes cœlestes in opere ministerii sui permanere, & quum nobis tunc vita Angelorum vivendum sit, posse, secundum eos qui semper bene operantur, nobis quoque æternam justificationem esse meditationem. Ut autem in præsenti vita meditatio spectatur, hanc ajunt non in sermonibus tantum, aut cogitationibus, sed etiam in operibus sitam esse, atque per illam divinum auxilium impetrari, ex quo salus procreatur. Observat denique Hugo singulas virtutes in singulis fere verbis hujusce sententiæ humilitatem in *adjuvame*, spem, & *salvus ero*; devotionem, & *meditabor*, &c. perseverantiam, *semper*.

Adjuva me.) Verbum Hebræum סער *saahad*, exponit Hier. *auxiliari*. Alii *roborare, fulcire, sustentare*, eodem ferè modo, quo in priore versu סמך *samach*. Sed consilium quod סער *saahad* præterea, ut indicasse dixi Agellium, sustentationem, atque confirmationem importat, quæ sit per cibum, & significat *cibum sumere*, & *prandere*, & apud Rabinos *cibum & pastum* שערד *sehhudach*. Vide dicta psal. 103. c *Panis cor hominis confirmat*. Idem Agellius recitat anonymi Græci expositionem ἐνισχυσόν τὴ ψυχήν μου σοφὸς λόγε σου, *rinvumda gratia tua cor meum*, quasi ea quoq; sit notio verbi סער *saahad*, seu pro circumdatione satellitii, præsidii. Confirmat ex Proverbiis d, ubi quod legimus *roborabitur clementia thronus ejus*. Græcè est referendo ad misericordiam, eleemosynamve, ac veritatem περιῳ κυκλώσουσι *circumdabunt*. Hebraicè autem in singulari סער *saahad*. Non per se significat id verbum *circumdare*, sed quia circumdando & vallando redditur locus magis munitus & fortis, ad sensum respicientes, illo modo sunt interpretati.

Et salvus ero.) ואושעה *vejasuachhah*, & *salvus fiam*, & כנשע *sanseiehh*, unde ישוע *iesciuahh* nomen *Jesu* ad quod forsitan Propheta respexit, præsertim si successionem pro incarnatione sumamus, & præcedens סער *saahad* pro sustentatione per panem, qui de cœlo descendit e, qui est ipsemet Christus.

Et meditabor in justificationibus.) Hier. *& delectabor in præceptis tuis*. Alii, *loquar de illis, respiciam in illis, narrabo illa, vocabo, dabo operam, occupando me in illis*. Cum priore verbo אישעה *inuaseehhah* elegantem paronomasiam habet, quod hic legitur אשעה *eshhah* à שעש *seâshhah*, quadratum ששש *seiahh seiah*, de quo aliquoties fme minimus & ab illo derivatum videtur, sicut & de Græco μακαρία atque de nominibus meditationis μελέτης, & שעשוע *seiahhseiuahh*. Justificationes quoque docuimus pleruмque non differre à præceptis, mandatisve, & aliis quæ synonymè rem eamdem significant.

Semper.) Quoad nempe vita fuppetet, eo modo quem ferunt æruмnolæ vitæ ejusdem necessitates, occupationesque. De alia tamen æterna vita nonnullos hoc accipere antea monui.

Vers. 118.) Sprevisti omnes discedentes à judiciis tuis, quia injusta cogitatio eorum.

Sensus loci.

MAgna utilitas à jugi meditatione, exercitio, custodia justificationum, ac præceptorum Dei, honesta res etiam admodum & laudabilis iniquos odio habere atque à malignis declinare, & eos longius rejicere à se, quoniam hoc est esse similem Deo, qui non vult iniquitatem, nec habitare permittit juxta se malignum, vel permanere injustum ante oculos suos, sed *odit omnes operantes iniquitatem* g, non solum spernit. Deserentes se deserit, *recedentes in terra scribit* h, immò & in pulverem nihilumque redigit. Auxilium & susceptionem ob hoc Propheta orat, inquit Hilarius, cum discedentibus à justificationibus Dei, & ipse spernatur. Talem quoq; descripsit quondam David dignum cohabitatione cum Deo, *in cujus conspectu ad nihilum deducerentur malignus* i. Testificatus est quoq; de seipso, quod non proposuisset ante oculos suos rem injustam, *facientes prævaricationes odisse, non sineret adhærere sibi cor pravum declinantem à se malignum non cognosceret, detrahentem persequeretur: non ederet cum eo, qui esset superbo oculo & insatiabili corde: non habitaret in medio domus ipsius facientis superbiam non dirigeret in conspectu oculorum ejus, qui loqueretur injusta: in matutino, & quamprimum interfice interficere omnes peccatores terræ, ut disperderet de civitate Domini omnes operantes iniquitatem* k. Injusta omnium horum cogitatio est, omnisnoq; falla, dum quasi onagri detrectantes jugum legis & obedientiæ Dei, se liberos natos putant l nolentes Dei legi subdi, nec ab eo pendere. Nihil absurdius & iniquius, quam re factoq; si non etiam verbo, dicere, *non serviam* m, *quis noster Dominus est?* Talis cogitatio Luciferi fuit, qui Altissimi affectavit similitudinem n, & prinorum parentum, qui appetiverunt esse *sicut Dii* o, talis gigantum p, talis Pharaonis q, talis Nabuchodonosoris, & omnium superborum discedentium à judiciis DEI per contemtum. Digna, & justa pro tanto scelere pœna, ut *spernens spernatur, contemnens contemnatur* r, & ut *tetanci Deum, exacerbans, testimonia illius non custodiens, avertens se, non servans pactum, conversus in arcum pravum, concitans eum in iram, ad æmulationem provocans, ab illo spernatur, & ad nihilum redigatur valde* s. Spernitur, atq; despicitur superbus quia despectui habet divina mandata; inquit Ambrosius) cœlestis autem clementia nullum repellit, sed quicumque nolucrint peccata propria confiteri, ipsi discedunt à Domino Deo nostro. Affert exemplum prodigi, qui patre relicto abiit in regionem longinquam pœnitens vero regressus est t, & Adam, qui audita præsentia Dei, latere cupiebat u & Cain, qui commisso parricidio, & à facie fugit Dei x; denique qui *elongant se à Deo, perire* y, & unumquemq; tuis studiis sese aut ingerere, aut separare. Intolerabilis confusio ejus. *quem spernit Deus* z, thaniter autem orat, non *confundi ab expectatione sua* a, qui non sic expectat, ut custodiat viam Domini, quem admodum antea vidimus. *Nemo potest corrigere quem Deum despexerit* b, irridet & subsannat eum e rider in interitu ejus d, qui despexit omne consilium ipsius, increpationes neglexit, subsannatque, quum ei id, quod timebat, advenit. Spernit item Deus discentes, ut Hugo observat, à judicio confessionis, relabendo, à judicio conscientiæ per negligentiam, à judicio Ecclesiæ per inobedientiam, contumaciamque à judicio correctionis per impatientiam, & acediam.

Sprevisti omnes discedentes à judiciis tuis.) Hier. *adjecisti omnes, qui ignorant præcepta tua*. Chald. *conculcasti omnes aberrantes*, vel *discedentes à præceptis tuis*. Quo modo ferè alii ex Hebræo vertunt, ubi verbum סלית *salitha* significat *conculcasti*, & *prostrasti*, quod R. Kim. vult hoc loco poni pro futuro. Participium שוגים *ciogrim* valet *ignorantes, errantes per errorem, ignorantiam ve peccantes*. In simili sententia prius erat idem, *maledicti, qui declinant a mandatis tuis*. Pro *judiciis* sunt חקים *Kakkim* sed Græcè δικαιώματα *justificationes*, quod nomen etiam Latinum habent alia Psalteria, Patresque vetustiores, Hilarius, Ambros. Augustin. Prosper, qui etiam loco primi verbi legit, *ad nihilum deduxisti*. Credo quoniam Augustinus, quem compendiosè sectatur, sic de Græco diligentius exprimi affirmat, quod est ἐξουδένωσας, quo utitur etiam Theodotio, & V. editio. Sed reddunt pro ἀποστάντας πλανωμένους, προκαταμαθόντων ἀκριβασμάτων, quæ significant *errantes & præcepta exacta*. Aquila ἀποπλανῶντας πάντας τοὺς ἀποστρεφομένους ἀπὸ δικαιωμάτων σου, *convertisti omnes avertentes se*, vel *aversos ab exacto præcepto*, sive *lege*. Symmachus ἀπλανεῖς πάντας ὡς ῥ μεμένης ἀπὸ τῶν προσταγμάτων σου, *reprobasti omnes vagantes à statutis tuis*. Postremo Apolinarius,

ὑδὲ πάντα ἀδικοῦντας ἀπεκαθάρατας ἀλλότρως.

Justitiam parvipendisti odio persequentes iniquos.

In Psal. 7. *Justitias ejus non repuli à me* Græcè δικαιώματα, *justificationes*, Hebraicè חקות *chukkoth*. Ambros. recitans aliam versionem, *ad nihilum deduxisti omnes prævaricatores*, obiter vat differentiam inter hos, & nomen peccatorum quoniam hoc omnibus convenit, quum sub peccato simus omnes, & illud gravius. hoc levius sit: pulchrè præterea dictum, *ad nihilum deduxisti omnes prævaricatores*; quia, sive quis dives sit, nihil illi divitiæ suæ prosunt sive honoratus, nihil dignitas: sive potens, nihil potentia. Idem verbum Græcum aljàs nostet Interpres translulit, *ad nihilum redigere*, vel *redigi* a, ubi tantæ alia verba significantia contemtum, ut *bazah*, & בוז *maas*. Quo circa non admodum magnam vim constituerim in notione *nihili*, etsi verum sit peccatum esse nihil, & peccatorem redigi per illud ad nihilum gratiæ, & privatiéte infinito, hoc est, Deo, iociumq; sieri jus, qui nō est *b*, idest diaboli, & mereri omnino in nihilum redigi: quod tamen non fit, ut teneare pœnam possit quoniam *melius*, idest, minus malum *ei esset natum non esse* c, ac penitus non esse.

Quia in justa cogitatio eorum.) Hier. *mendax*. Potuit quoq; reddi abstracte *mendacium*, מאש *seKer*, seu *falsitas decepti*, & pro *cogitatione, dolus & fraus*, quam הרמות *tharmith* significat. Ut sit sensus, eos, qui discedunt aberrantque à statutis, & injustis præceptis Dei, mentiri & frustrari suome dolo, ac fraude fallaci & mendaci. Transfert Aquila ὅτι ψεῦδος εἰς σωτηρίαν ἐστὶς σωτῆρ, *quoniam mendacium sunt cogitationes eorum*, nempe doloræ. Symmachus ματαία γὰρ πᾶσα ἡ δόλος τῶν ἀνθρώπων, *vana enim omnis dolositas eorum*. Theodotio & V. editio, ὅτι ἄδικον τὸ ἐπιβούλευμα αὐτῶν, *quoniam injusta cupiditas eorum*, LXX. vocant hic ἐπιβούλευμα, Latini etiam ex Græcis mutuati, *enthymema*, quæ est argumentatio, in qua latet una propositio intus in animo, sol reliquæ proferuntur De quolibet peccatore affirmari potest falli, & errare in suis cogitationibus malis, unde prodeunt cetera mala verborum & operum: Philosophi qui ipsi ethici appellant omnem, qui peccet, ignorantem & errantem, Sed longè major & intolerabilior ignorantia, deceptio, error eorum, qui sunt *prævaricatores*; & faciunt discessionem à divinis judiciis, quorum aliquando tua vitate, utilitate, honestate, præstantia fruiti sunt. Ipsimet cœli obstupescunt, portæque illi desolantur vehementer ad hæc duo adeo gravia mala ut derelinquat quis Deus *fontem aquæ vivæ, & foliat sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas* d, quod *anima naufeat super cibo* pretiosissimo perinde ac si levissimus, ac vilissimus esset: quod qui sunt illuminati, & gustaverunt donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, & gustaverunt bonum Dei verbum, virtutesq; sæculi venturi, prolabantur cum tanto contemtu rursum crucifigentes Filium Dei, & ostentui habentes f, Injustissima cogitatio, atq; iniquissimum judicium, quo in collationem adducitur Deus cum qualibet creatura, hæc illi præponitur. Aptè sanè in priore membro per Hebræum verbum סלה *salah* dictus est Deus spreviisse, & conculcasse & stravisse tam iniquos rerum æstimatores. Nam significat id quoq; verbum æstimare & æquiparare, quia solent sterni, ac ordinari, quæ comparantur inter se, ut merces, quas qui commutant, ordine ob oculos ubiq; sternunt, ut alteruter, quam velit, seligat. Sic videlicet arguit istos, & *statuit contra faciem ipsorum* g, & exprobrat spretum se ab ipsis, contemtum, detectum, rejectum, nihil factum, iniq; refutatum. Hic valet illud Tertulliani *b*. Quum etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna, (quia Deum in aperto constitutum, & vel ex ipsis cœlestibus bonis comprehensibilem ignorare non licet) quando cognitum despici periculosius est? Probat deinde despici Deum ab eo, qui retinat deposita peccata, esseque non contumacem tantum, sed etiam ingratum: rursus diabolum regretiu peccati erigere, & facere, ut recuperata præda advertus Dominum gaudeat; huic ipsi illum præponere. Comparatione enim, inquit, videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus te rursus esse maluerit. Postremo injusta cogitatio est, ut antea dixi, arbitrari nulla esse judicia Dei, providentiam nullam, nulla vel præmia, vel supplicia, *insipienter dicere in corde suo, Deum non esse* i, excusationes quærere inanes peccatorum suorum. Merito spernuntur à Deo, quorum injusta cogitatio longius distans ab ejus cogitatione, quam *distant cœli à terra* k. *Dissipat ipse cogitationes populorum, & reprobat consilia principum* l peculiariter vero malignorum, ne possint implere manus eorum, quæ coeperant. m. *Immortalitas est in cogitatione sapientiæ* n, *& cogitationibus Dei non est, qui similis sit ei* o.

Vers. 119.) Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ, ideò dilexi testimonia tua.

Sensus loci.

QUorum versu præcedentem injustam dixit esse cogitationem, & appellavit discedentes à justitiis Dei,

Inconsequenter hic asserit, reputasse se positos extra rectum iter, & trasgressos veram virtutis, atq; salutis viam, cujus nempe dux judicia Dei sunt, lexq; ac Deus spretus sprevit, & discessit ab iis, atque dereliquit eos, à quibus prior derelictus est, & discesserat ab ipso. Quocircau tam magnum malum effugere, nec sine necessario viæ duce, & auctore vitæ esset, affirmat dilexisse se testimonia Dei, ac iis toto animi affectu adhæsisse. Ceterum cum peccatum quodlibet grave definiatur esse contra legem Dei, & *ubi non est lex, nec sit prævaricatio* p, rectè quilibet peccator dicitur esse prævaricator, etiam, sive transgressor, & παραβάτης, & ἀνόμων. LXX. vel evangelica est, vel scripta, seu vetus Hebræorum, vel naturalis, nempe; censetur prævaricator, & peccator, qui aliter contra legem naturalem scriptam in suo corde non egerit. Pueri ut primum concipiuntur, & nascuntur vere peccatores denominantur, utpote *in iniquitatibus & peccatis* q concepti, hoc est in originali, quod quum sit unum in singulis, aliorum, quę postea fiunt, seminarium est. *Per unum hominem peccatum intravit in hunc mundum* r, *& in uno illo omnes peccaverunt* s, quia in omnium capitis voluntate, voluntates omnium erant. *Sine lege* scripta & sine Evangelica *peccaverunt* olim Gentiles, & nunc peccare possunt proprio inquam actuali peccato, si qui penitus invincibiliter ignorant Evangelicam. Tractat egregiè hoc loco istam quæstionem Aug. & in opere de civitate Dei u, initio autem Commentarii in ps. 57. quo pacto judeatur quivis *prævaricator redire ad cor* x, quia videlicet inscriptam in eo legem habet, quam prævaricatur. Deniq; rectè scribit y idcirco sic loqui nunc Prophetam, quia omnes legis alicujus prævaricatę iunt rei, qui aliquo peccato tenentur obstricti. Subdit autem de parvulis: Quamobrem si etiam parvuli, quod vera fides habet, nal cuntur non propriè, sed originaliter peccatores, unde illis gratiâ remissionis peccatorum, necessariam confitemur, profecto eo modo, quo sunt peccatores, etiam prævaricatores legis illius, quæ in paradiso data est, agnoscuntur, ut verum sit utrumq; quo scriptum est, & *prævaricatores omnes peccatores terræ*, & *ubi lex non est, lex prævaricatio*. Ité ait idem Doctor de iisdem parvulis in Commentario hujus locit: Jam vero si in omnibus peccatoribus terrę nō incongruè deputantur & parvuli propter originalis vincula peccati, etiam ipsi in similitudine prævaricationis Adæ, ad illam prævaricationem pertinere monitrar, quę, data lege in paradiso, prima commissa est: ac per hoc rectè nullo excepto, prævaricatores æstimantur omnes peccatores terræ. *Omnes autem peccaverunt, & egerunt gloria Dei*. Eumdem hunc locum adhuc eodem pacto intelligit in fecundo de nuptiis & concupiscentiis *b*. Ori genem quoq; Agellius citat docentem omnes quomodocumq; peccantes prævaricatores dici, quia quamvis legem à doceute nullam acceperint, habent tamen à natura insita instrumenta virtutis: Nyssenus e perfecti Christiani describens formam, docet quod ut qui Christum in perfectionibus negat, divini nominis prævaricator est; sic etiam si quis veritatem & justitiam & sanctitatem & integritatem, & si quid aliud virtuti conveniens cogitatur negat, & quo tempore contra perturbationes & vitia fortiter pugnandum est, vitæ constantiam abjicit, is à Propheta prævaricator appellatur. Distinguit Hugo prævaricationem contra legem naturæ, Moysis, Evangelii, votis indicari autem repetita quater prævaricatione apud Esaiam *d*: *Prævaricantes prævaricati sunt, & prævaricatione transgressorum prævaricati sunt*. Colligere hinc simul possumus, quam sit fœdus error asserere nullum Christianum legibus, præterquam præcepto fidei obligari; sequeretur enim, nullum præter infidelitatis peccatum ab illo posse committi. Hoc præ se ferunt recentes hæretici, vel saltem nullum præter infidelitatem apud Christianos peccatum esse, quod eos damnare possit.

Prævaricantes reputavi.) Hier. *quasi scoriam computasti*. Aquila συμφυλλὰς διελογίσω, *vinacea deputasti*. Symmachus σκωρίαν, vel σκωρίαν ἐλαχ' σου σκοριαν puraſti, vel *dolum*. Theodotio & V. editio εἰς ἐξόδιν διέπνυξας, *ad nihilum concidisti*. Alii, *ut scoriam*, vel *quasi quiliasi cessare fecisti*, vel *erasisti*. Chald. *idola confregisti*. Hebræa nunc sic habent חכת סגים *sighim hibtarah*. Significat, סיג *sigcorlam* cujusli bet metalli & alibi *rubigo* vertitur, & *sordes* g, rursumq; *hscoria*. Sed LXX. legerunt מוגים *sughim*, quod significat παραβαίνοντας *trasgredientes, retrocedentes, avertentes se*. Alterum verbum, ut nunc legitur per ה *he* est in *hiphil* à שות *sciauath*, & significat *facere, cessare*,

seu *desinere*, & *quiescere*. Cum חדל *chadal* in *piel*, atq; in prima persona, iidem LXX. repererunt חשותי *chisciauthi*, & Hier. ipse, aliiq; interpretes Latini. Qua in re temere auctor thesauri errorem manifestum esse pronunciavit, majorem namq; meruerentur isti fidem, quam ille, & quam quilibet alii Hebraizantes. Eadem etiam de caussa minus probanda Theodotionis, & editionis V. translatio, quæ legit in secunda persona tertium aliud verbum diversum חשות *chatsautha concidisti, divisisti, contrivisti, dolasti*, &c. *Vinacea* & *idola non* satis reminisci queo qua ratione cum textu congruant. Sensus commodè ex versionibus omnibus peti possunt, sed salva translationis nostræ inviolabili auctoritate. Ambrol. legit, *prævaricantes æstimavi*. Aug. *prævaricationes deputavi*, vel *putavi*, vel *existimavi*, multis enim modis, inquit, nostri interpretati sunt unum verbum Græcum, quod est συγχεῖσθαι, Ait vero potius (prævaricantes) dici debere, quoniam Græcus παραβαίνοντας ait non παραβάτους. Habet Prosper, *prævaricatores existimavi*. Vetus Psalterium, *prævaricantes deputavi*. Si prævaricari more Jurisconsultorum Latinorum sumamus B de illo qui patroc natur utriq; litigantium parti simulatè vel accusans, vel defendens, conveniet peccatori *dominis duobus servire* volenti *a*, quemadmodum scribens Apostolus Galatis *b* Evangelium cum circumcisione admittentibus, dicebat, *si enim quæ destruxi iterum reædifico, prævaricatorem me constituo*. Certè nihil tali importat Hebræa vox hujus loci, sed neque Græca.

a Matt. 6
b Galat. 1

Omnes peccatores terræ.) Hier. *omnes impios terræ*. Chald. præcedenti membro, *idola confregisti*, addit ur, *abolevisti omnes impios terræ* רשיעי ארע *rischhe erets* quæ ipsa phrasibus jam prius occurrit *c*, & Ambrosii ad præsentem locum expositio allata est, quam ex Hilario transcripsit. Ad litteram *peccatores terræ* sunt, quotquot in ea habitantes prævaricantur, & peccant: quemadmodum & *fideles terræ d*, quotquot ubivis terrarum sunt tales. Mystice homines habitatores terræ, ut distinguuntur à dæmonibus, qui peccasse dicuntur in cœlo. Quod extendit Hugo ad peccata Clericorum, veluti cœlestium, & Laicorum, veluti terrestrium, ut idcirco graviora sint illorum, & ad remittendum difficiliora. Bruno Carthusianus denominationis istius a terra caussam reddit, quia criminaliter peccantes imi sunt in vitiis & sordidi. Idem voluit Beda, & Pampolitanus per adhæsionem ad terrena desideria, Beda & Remigius gravitatem peccatorum innui per elementum terræ dicunt, quod ceteris graviusest. Haimo restringit ad Paganos naturali sola luce utentes, & contra peccantes, quasi videlicet generali voce *terra* contemtus nonnullus talium hominum indicetur. Placet amplior acceptio, quam illustrat quoq; Jeremiæ *e* sententia, de confundendis, ac in terra scribendis iis, qui Deum derelinquunt. Quod nonnihil adumbravit Christus *f*, cum digito scripsit in terram, oculos avertens à criminosis accusatoribus, qui & ad unum omnes abierunt. Vocavit Aquila, Theodotio, & V. editio, *ἀσεβεῖς τῆς γῆς*, *impios terræ*, Symmachus, *παρανόμους*, *transgressores*.

c Psal. 13
d Psal. 109
e cap. 18
f Joan. 8

Ideo dilexi testimonia tua.) Ne sim prævaricator, & peccator, ne me Deus meritò iperans discedentem à judiciis tuis, atq; injusta agentem. Acuit aliorum cogitantem. Improbotum cognita impietas amorem pietatis in homine pio accendit.

g Prov. 28. 4
h psal. 19

Vers. 120.) Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.

i Cant. 2. 7

Sensus loci.

NE umquam prævaricetur, vel dilcedar à judiciis divinis, & ab amore testimoniorum, quem sibi planè retinendum constituit, aliemo edictus iniquorum, malignantium peccatorum exemplo, & damno, nec non judiciis divinis in eosdem editis, quæ ipsum timore pertulerunt; suppliciter novis, & inusitatis precibus, ut eas vo-

Acat Hilarius, flagitat confirmationem in eodem Dei timore, ac veluti trabalibus validissimis clavis, ita carnes, ideſt, carnales cupiditates, configi, ut se amplius commovere non valeant, non insurgere, non recalcitrare: quod Apostolus *K* appellat *crucifigere carnem cum vitiis*, & *concupiscentiis*; nec quidquam sit deinceps, quod avellere, ac separare ipsum possit à sancto illo Dei honore, & amore, per quem semper legem, ac voluntatem ipsius, quam exactissimè perficiat, quemadmodum qui clavis in saxo affixus est, inquit Chryl. moveri nequit. Eodem spectat quod idem Paulus ait, *crucifigi nos mundo, & mundum nobis* l, *Christo confixos nos esse cruci*, ita ut vivamus *nos non ut jam nos, sed vivat Christus in nobis* m. Sic ferè Latini, & partim quoq; Græci, sed ita ut per confixionem intelligamus timorem perfectum cum charitate perfecta consistentem: amor autem judiciorum Dei, quem se Propheta dicit habuisse, sit adhuc imperfectus. Judicia divina, seu testimonia & mandata menti nostræ oblata, & oculis lecta placent, judiciisq; ac voluntatis approbatione dilnguntur: sed lex carnis & membrorum reluctatur, nec ita facile castigatur timore, eo, quem animus probè concipit, non adeò promtè *mortificantur membra: quæ sunt super terram* n, propter quæ *peccatores terræ* in priore membro nominabantur. Ipsemet Apostolus *castigabat corpus, & in servitutem redigebat*, timens *reprobus fieri* o. Confixio per clavos, quam Græcum καθήλωσιν involvit, indicat clavos Crucis Christi, & crucifixionem ipsam, cujus meditatio & imitatio carnes nostras configit, & conficit salubri timore, atq; animo observari facit: si sic in viridi ligno factum est, quid in arido fiet? p quamquam terribilis cum signo Crucis q, & fixuris clavorum Judex apparebit, qui tam horribiles, & infames cruciatus tolerare dignatus est. *Videbunt* tunc in fœlicissimi prævaricatores *in quem transfixerunt* r, & *qui eum pupugerunt* s. Ut vidit Thomas *fixuras clavorum, & locum* t, confixus est, inquit Ambr. ac præ summo quodam timore, sed casto, & reverentiali prorupit in eas voces u, *Dominus meus & Deus meus. Vulnerari* clavis istis oportet sponsam x, & *conjungi, ac imprimere dilectum suum, sicut signaculum super cor brachium quia fortis est, ut mors, dilectio, dura, sicut infernus, æmulatio y: Deiq; sermo penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoq; & medullarum* z. *Durum est contra stimulos tales calcitrare* a, & contra verba auctoris omnis sapientiæ, posterisq; unius, ac supremi Pastorum Principis quæ sunt *sicut stimuli, & quasi clavi in altum defixi* b. Baculum pastor armatum stimulo gerens, & quasi clavo revocat lascivientem pecus in viam, & caulam. Hortatur Leo quodam sermone c, ut quum quilpiam obtervantiæ se limitem sentit excedere, & in id cupiditates suas tendere; quod eum à recto itinere faciat declinare, recurrat ad Crucem Domini, ac ligno vitæ motus noxiæ voluntatis affigat, ac voce prophetica ad Dominum clamet, & dicat *Confige clavis timoris tui carnes meas à judiciis enim tuis timui*. Tùm subdit, quid autem est clavis timoris Dei carnes habere confixas, nisi corporeos sensus ab illecebra illiciti desiderii sub metu divini contineri judicii, ut qui resistit peccato, concupiscentias suas, ne quid more dignum operetur, interficit, audeat cum Apostolo dicere d. *Mihi autem absit gloriari*, Cassianus e docens quod abre. nunciatio, & mortificatio nihil est aliud, quam imago Crucifixi; debere q; illum, qui abrenunciare vult, & mortificari, considerare conditiones Crucis & crucifixi Christi, qui jam in ipso vivit, ait affligere de timore Domini carnes idem esse, quod universas voluntates ac desideria ut non nostræ concupiscentiæ serviant, sed mortificationi ejus habeantur affixa. Postea f conditiones Crucifixi tropologicè declarat, ut voluntates, ac desideria non secundùm id, quod nobis suave est, ac delectat ad præsens, sed secundùm legem Domini, quo nos illa constrinxerit, applicemus, non jam præsentia contemplemur, nec de nostris affectionibus cogitemus, & pro die crastino sollicitudine, curaque distendamur: nulla possidendi concupiscentia permoveamur, nulla superbia, nulla contentione, nulla æmulatione succendamur: non de præsentibus doleamus injuriis: non præteritarum jam recordemur: nos quum adhuc spiramus in corpore, cunctis elementis credamus esse defunctos, illuc præmittentes nostri cordis intuitum, quo nos non dubitamus illico transituros: tandem timorem Domini crucifixi non solum carnalibus vitiis, verum etiam ipsis elementis mortui simus, illuc habentes oculos animæ

k Galat. 5
l Galat. 6
m Coloss. 3.

n Coloss. 3. 5.
o 1. Cor. 9
p Luc. 23.
q Matt. 24
r Zach. 12. 10
Joan. 19. 37
Apoc. 1. 7
s Joan. 20
t ibid.
u ibid.
x Cant. 5

y cap. 8
z Hebr. 4. 12.
a Act. 9.
b Eccl. 12. 11
c serm. 19. de passione.

d Galat. 6
e 4. Inst. c. 34
Abrenunciatio, & mortificatio, imago crucifixi.

f cap. 35

g Galat. 2. 20

h cap. 45.

mæ nostræ defixos, quos non sperare debemus momentis singulis migraturos. Pluiquam adamantinus clavus hic *a*, pluiquam picta læva necessitas.

b Clavos trabales, & cuneos manu
Gestans abena.

Pluiquam in postico pariete templi Minervæ in Capitolio solemni ritu à Consule, vel Dictatore, vel Prætore, infixus aheneus clavus, ferreusve contra pestilentiam, quamvis alii e nominent dextrum latus ædis Jovis in eodem Capitolii, & ajant eo dem clavos notas numeri annorum habuisse, pluiquam aurei clavi templi, aut latus clavus ad ornatum vestimenti. Quæ non est difficile ad talutiferos Crucis Christi clavos accommodare, sensu quodam pio, atq; timorem divinum, quo configimur. *Radicationem, & fundationem* exigit Paulus *d in charitate*. Chr. e alio quodam loco plus docet esse clavis affigi; admonet vero etiam f, ne verbo tantum divinæ religionis Sacramenta percipiamus, sed *adhæreat post Deum anima nostra* g, & affigimus divino timore carnes nostras: sic enim non levi tento, ac ne vehementi quidem procella excutiendos. Optimam Bernardus *h* timorem istū vocat fugittam, qui configit & interficiat carnis desideria, ut spiritus salvus sit. Idem i demonstrat Deo aliquem adhærere, conjungiq; vel durè, ac fortiter per funes, ideſt, per memoriam honestatis, quæ ineſt virtuti, aut promissionis vel adhuc fortius, & durius per clavos ligneos, ferreosve qui est gehennæ timor, vel suaviter, & fecurè per gluthe charitatis, ita ut quis *unus spiritus fiat cum Deo* K, & conglutinetur anima illius cum illo, ficut de Dinaba, & Jonatha scribitur *l*. Et Esaias *m* scripsit, quod *glutino bonum est*; quia comparatione istius alia gravia, & incomportabilia sunt. Basil.æ prolato prætenti testimonio, ut Dei timorem castitati essetvandæ necessariū ostendat? Quemadmodum ait, qui corporis membra habent clavis transfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinentis fic ti quorum animam occupavit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, & obstreperam occasionem vitat. Quamquam non me latet, secundùm varias rationes posse conjunctionem, quæ funibus fit, deputari beneficiis, quod est *trahere in funiculis Adam, & vinculis charitatis* o, illam, quæ glutino dicitur fieri, assignari mutuæ benevolentiæ; quæ clavis, timori non tantum servili, & imperfecti, sed etiam filiali, seu reverentiali, & casto, atque perfecto. Addi præterea posset conjunctio veluti per commixtionem liquorum, quæ indicat majorem quamdam unionem animorum, & voluntatum, cui magis propriè convenit, ut fiat unus spiritus plurium. Sic, inquam, locus hic noster à quibuldam de timore servili accipitur à nonnullis de filiali: de quibus non est modo agendum cum actum sit alibi non semel. De utilitate servilis differt ad populum Chrys. *p*. Ceterum Cypr. *q*, præter Enarratores maximè Latinos, qui satis indicant, alludi vult hic ad crucifixionem Christi, nec minus hinc eam confirmat, quam ex ps. 21. r, verbis, *effoderunt manus meas & pedes meos* & 140. *s Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*. Drogo Cardinalis agens de Domini passione, utq; ipsum imitemur, observat etiam Philosophos crucifixisse carnem suam, & confixisse Dei timore, verùm vanitatis amore, animam relinquendo incrucifixam & luxuriæ hoc est, inani gloriæ studentem. Ambros. alibi exclamat divinum Crucis esto Sacramentum, in qua hæret infirmitas, virtus libera est, affiguntur vitia, eriguntur trophæa: Davidem hic petere *configi clavis à timore Dei carnes suas*, non ferreis clavis, sed timoris, & fidei: vehementiorem enim esse virtutis strictūram, quam pœnæ. Theophanes Ceramæus *t* docet, qui oculos levent ad mysticum serpentem *u* æneum, ideſt, ad Christum crucifixum, affectionem, motumq; immoderatum depellere, & timore Dei, veluti pharmaco quodam venenum perfundere: respicere autem ad crucem nihil esse aliud, quam totam suam vitam, ut mortuam mundo, & crucifixam efficere, ut immobilis sit ad omne peccatum, configens timore Dei proprias carnes: ita ut clavus, qui carnem contineat, continentia sit. Typus crucifixionis nostrorum sentuum possunt esse Reges quinq; calcati, & crucifixi, qui nitebantur promissæ terræ ingressum impedire *x*: de quo consule Serarium nostrum *y*. *Non alligatur verbum Dei* z, & quem ligat amor, ac timor Dei, ferreas catenas non veretur; immò fuerunt fortissimi Martyres, qui se ad palum ligari non passi, ultro in igne ipsos insiserent, aliave tormenta dirissima, ut animo, sic soluti corpore, constantissimè perferrent. Illum vero sine dubio fortius Dei, & castitatis amor stringebat, quam blandi ex ferico nexus, qui super lectum extructum plumis nudum, & reſupinatum irretiebant, ne se inde posset evocare: & tamen in meretricem speciosam, quæ delicatis stringebat colla complexibus, & manibus attrectabat virilia, ut corpore in libidinem concitato, le victrix impudica superjaceret, præcisam mortu linguam in osculantis faciem exput, ac sic libidinis tenſum succedens doloris magnitudo superaret. Prodit hoc Hieron. *a*, aliàque ipsi alia de causſa recita vimus.

a in vita Pauli primi Eremitæ.

Confige timore tuo carnes meas.) Hier. *horripilavit à timore tuo caro mea*: quod videtur prius expressum Græcè à Symmacho, φόβῳ σου ὑπὸ φόβου σου ἡ σάρξ μου. Aquila vero uiurpans idem verbum, quo tunc usi LXX ied passivè, ac in tertia persona, transtulit, κατὰ σὺ ὑπὸ πτοίασις σου ἡ σάρξ μου, *clavis fixa est a pavore tuis caro mea*. Eumdem videtur sensum tequutus Hesychius, explanans ac si dixisse Propheta, φρίξει, *horruit* ut homo cogitans judicium Dei. Est nunc apud LXX. καθήλωσον ἐν τῷ φόβῳ σου τὰς σάρκας μου, pro quo Romanum Psalterium habet, *infige timore tuo* Ambrosianum: *infige clavis à timore tuo*, vetus, & Aug. ac Prosper, *confige clavis à timore tuo*. Cassian. *affige de timore tuo*: Cyprian. *c*, *confige clavis de metu tuo*: Hilarius tamen si nostram lectionem sequitur, monet minore dicti virtute latinitatis translationem eloquutam esse, *clavos* non exprimendo. Ait quoq; August. abiq; clavis καθήλωσον intelligi non posse. Chald. *infiammatur pra timore tui caro mea*: vel juxta versionem Nebiensis, *exhorruit*. Cum ipso verbo reddunt alii Hebræum tertiæ personæ in hac oratione סמר מפחך בשרי *samar mippacdecha vesceiari*. Ubi præpositio incluta in prima littera secundi vocabuli, comparationem & magnitudinem importat, vel causam horroris, nempe præ, aut propter timorem à Deo inculsum, vel qui de illo, & circa illum erat. Verbum porro סמר *samar*, quod legisse LXX. credi potest in imperativo, vel in *Kal* סמר *semor*, vel in *piel jammer* סמר *jammer*, quamvis passim dicatur significare horrere tùm quum pili erigūntur, tremore, se excutere, quod vulgo dicunt *arripilare*, tamen videtur præterea habere notionem configendi, & veluti clavos ad horrorem infigendi, nam clavos (quod obtervatum deprehendi à Genebrardo, & Avendano, priusq; à Richardo Cenomano, & postea etiam à Bellarmino nostro) vocant מדרים *masmerim*, aut סמרים *mismerim*, aut מסמרות *masmeroth*, & מסמרות *mismeroth*, & cum ש *jin* vice ס *samech* תשמרות *masmeroth* d. Figurata fine dubio oratio est, & Apollin. simili alio verbo περιπήγνυσι *circumpunge* sententiam eamdem reddidit. Contractionem operatur timor, ut docet Aquinas *e*, quā Damas. *f* vocat συσταλτὴν, nam provenit timor ex phantasia alicujus mali imminentis quod difficile repelli potest & hoc ex debilitate virtutis: hæc alia quo debilior, ad pauciora se extendit, sicut in mortentibus natura terrahitur ad interiora, & stringuntur frigore membra, & in trepidatione civitatis cives recurrunt quantum possunt ad interiora: Videtur eodem reipexisse in hujus loci commentario Bonaventura, scribens quod quum imaginatio imaginatur supplicium peccatoris quasi doloris gladio se succingit, & sensualitatis dissolutionem per formidinem sic constringit, quod eadem affectionis altitudinem non attingit, & illa rationis rectitudinē non astringit. Adjicit ita revera militare voluisse Prophetam pronunciantem ista verba: *Confige timore tuo*, &c. quasi diceret; constringe per terribilem imaginationem sensualitatis dissolutionem: quoniam à judiciis tuis timui, quæ sunt penes rationem, ne violenter per voluntatis violationem Studendum cum Paulo *g*, ut *Christo confixi simus cruci*. Quum Stephanum presbyterum carnibus vesci licet sub mortem, & ut medico pareret, frater ipsius secularis, alioqui pius, hoc non attendens offendere, vidit in ecstasi, & audivit reprehendentem quod scādalizatus esset, nesciens obedientia necessitateq; adactum fratrem carnes comedisse. Quod si, ait idem ille, merita & gloriam fratris tui videre cupis, retro te converte & vide. Converlusq; vidit fratrem suum crucifixum cum Domino. Quid mirum? Stephanus ipse de se testatus est, die noctuq; nihil aliud aspexisse, nisi Dominum nostrum Jesum Christum, in ligno pendentem. Narrantur hæc in Prato spirituali *h*.

b 4. inst. c. 34.
c lib. 2. c. 20.

d 1. Par. 22. 3. libr. 2. 3. 9. Eccl 12. 11
e 1. 91. 7
f Jerem. 10. 4
g 1. 2. q. 44. art. 1
h lib. 3. c. 13
i lib. de provenient.

A judiciis enim tuis timui.) Hieron. *& judiciis tua timui*, videtur non legisse primam litteram indicem præpositionis in מִמִּשְׁפָּטֶיךָ *mimmisphateKa*, judicia Dei dicit se timuisse: & nihilominus poscit confirmationem timore, immo hoc impetrare vult propter illud, ut proficiat, vel in

k Jesu 10. 24
y ibidem.
z 2. Tim. 2. 9

eodemmet timore, vel ex servili transeat ad filialem, vel ut non tantum secundùm rationem superiorem timeat, etiam caro ipsa contremiscat, sicut cor caroq; interdum exultant in Deum vivum. Antea hoc ipso psalmo dixerat *judicia Dei sibi esse jucunda a*, & in eis *superperavisse b*: peter etiam postea *vivificari secundùm judicium Dei c*, & ut *misereatur secundum judicium diligentium nomen ipsius d*. Videlicet varios res eadem operatur effectus, nunc spei, nunc voluptatis, nunc timoris, &c.

a vers. 39
b vers. 43
c vers. 156.
d vers. 132

AIN.

Vers. 121.) Feci judicium, & justitiam, non tradas me calumniantibus me.

Sensus loci.

TImoris divini necessitatem hac potissimùm de caussa videtur Deo persuadere, quoniam nisi Deum plusquam homines quis timeat, facilè hominum calumniis, & injuriis retardatur à legis observatione. Itaq; postulat à Deo propter timoris ipsius in se studium, exercitiumq; non se arroganter laudans, sed modestè coram Deo defendens, & formidabilem ærumnam propulsans (ut Ambros. loquitur) quod consistit in faciendo judicio, & justitia, ne liberiores permittat calumniantibus habenas, nec his fictis criminibus tantum proficere sinat, vel rectè facta sic in deteriorem partem accipere, ac interpretari, ut quæ cum judicio & justitia ipse faciat, longe aliter alii, atq; ut contraria judicio & justitia, sumant. Difficile admodum esse, cum communi aliorum offensione, cumque infamia propria quę ad officium virtutis pertinent, palàm, & libere præstare: Viz posse sapientem sibi imperare, quin *calumnia eum urbetur & remittatur robur cordis ipsius e*, longè autem deterrimum tradi potestati calumniatorum diabolorum, qui & hoc ipsum à calumniando nomen obtinent, ut nimirum struant pro arbitrio, & suggerant aliis de nobis calumnias ac demum apud ipsummet summum Judicem nos deferant, & quod calumniandi animo faciunt, probare etiam aliqua saltem ex parte possunt eo quod tentationibus pervicerint, nosque tandem quamvis antea judicio, & justitiæ intentos, ad suam voluntatem pertraxerint. Quæ petitionis ratio, ut qui neminem deserit, affecerit nullum injuria, suum cuiq; reddiderit, omnes officii partes absolverit, secum, cum Deo, cum proximo, non permittatur ab eodem Deo, sine cujus permissu nihil sit, per speciem, & colorem juris, calumniam & injuriam patri à fraudulentis, & potentibus: non dissimilis in alio psalmo *f* deprecatio, *non tradas me Domine à desiderio meo peccatori: cogitaverunt contra me, ne dereliquas me, ne forte exaltentur*. Rectè cum Sapiente *g* quemlibet *calumniantem* appella veris *panperem*, & injustè calumniam tolerantes, eodem nomine: non eadem ratione, ut pote, quod ille à virtute destitutus; hi sint immunes à malitia, eaq; ut & *spiritu*, id est, superbia, *paupores h*. Similem addit Sapiens calumniatorem illum pauperem imbri esse vehementi, in quo paratur fames, ne icilicet quam justus *esurit justitiam i*, ea pasci possit, aut ne deinceps quidem eiuriat, sed fastidiat, & ut justitiæ ejusdem justi pabulo ceteri priventur, Beniamitis occurrens David, tùm quum persequeretur eum Saul, dixit nihil esse caussæ cur tenderent insidias sibi, quia *iniquitatem in manibus non habebat k*. Pœnitens fidenter Deo dicere valet, ut notat Hugo, ne se calumniantibus dæmonibus tradat, eo quod fecerit judicium, seipsum discussa, conscientia, & apertis accusatiq; in confessione peccatis, damnando, & justitiam satisfaciendo: *seipsum judicans non judicatur*, id est, non condemnatur *à Domino l*, neq; consurgit duplex tribulatio, aut *punit bis Deus in idipsum m*. Familiare est, aliis omissis, Davidi, conjungere judicium & justitiam, aut quid aliud synonymum *n*, & idem valent repetita toties in hoc psalmo *judicia justitiæ*, vel *justificationis*, & quod sint æquitatis judicia. Explicavimus ipsi non semel quid propriè distent inter se *judicium*, & *justitia*, nec umquam, ut idem valentia in scripturis reperiri. Primùm quidam ajunt esse omnia exequi cum ratione, secundum ubiq; personarum acceptione judicare: alii utroque significari, præstare id omne, ad quod quis ex officio tenetur: vel implere legem: vel declinare à malo, Dei, ac judicii ejus timore, & facere bonum, Deum amando, proximo beneficiendo, affirmativa præcepta implendo: vel damnare fontes, innocentes vindicare, spiritualiter intelligere, quæ ad litteram in lege continentur, & operari prout intelliguntur, habendo Judæos pro calumniatoribus. Ultimum est Remigii: Arnobius autem declarat *facere judicium*, esse carAmen macerare & servituti redigere justitiam, animæ tradere dominatum super eam, quia per carnem calumniabantur nobis superbi. Lege Pradum *o*, & Riberam *p* nostros, qui merito spectare hæc simul cuncta docent ad officium Judicis, ac Principis: David enim ipse tamquam Rex hæc duo feciße dicitur *q*. Hilar. arbitratur hoc loco judicium & justitiam facere illum, qui omnia ratione, modo, virtute pertractet, ut id, quod in alterum agit, antea perpenderit, atq; perspexerit, & veluti de consilii sententia perfectum exequatur. Observat item aliud esse tradi Satanæ ab homine in Christi virtute; quod fe Paulus *r* feciße scribit: aliud à Deo ipso tradi eidem nocenti hoc est, sinere, ut noceat in peccatum impellendo. Nam quum per tentationes nocere properat, obtinere tamen, inquit, eos, qui innocentes sunt, nisi sibi per feceßionem Dei traditi fuerint non valebunt. Paullo fusius eadem reperturtur in Ambrosii commentario: tum vero quemadmodum, quod initio insinuavi, non se David gloriosè hic, ac insolenter laudet, aut jactanter prædicet; sed vitæ innocenteum jure asserat, ne dignus æstimetur, qui propter gravia peccata à Domino relinquatur, & nocentium potestati tradatur. Illustrat exemplo Petri, qui se, tociosque omnia relinquendo, Christum secutos esse. Christo ipsi dixit, & præmium exigit, ac etiam ab eo retulit *s*. Confert ac antefert etiam philosopho, qui qua pœna dignum se putaret interrogatus, ut in prytaneo quotidie convivio publico susciperetur, respondit *t*: Davidem namque non honorem usurpaviße, sed ærumnam deprecatum; non arrogaviße gloriam, sed humilitatem servaviße, quum conscius sibi judicii, & justitiæ reservatæ, tradi tamen potestati diaboli veteretur, hominem se cognoscret: imparem sustinendis bellis adversus *spiritalia nequitiæ u*, memorque esset raptum Enoch, ne *malitia mutaret cor x ejus*. Noe inebriatum *y*, Lot incestautum *z*. Moysem penè internecatum, nisi Sephora periculum depulisset *a*, Araonem cum Maria tentatos murmuratione *b*, postremo quum nequaquam se fortitudini suæ crederet, sed cauta humilitate divinum sibi precando adsciscret auxilium, Cpetens non tradi nocentibus, id est, principi omnium delictorum diabolo; Nec non facit ad rem Ezechias à Deo mortem deprecans, interposita priorum narratione meritorum *c*. Video Græcos enarratores hic assentientes: nisi quod Chrysost. qui ceteros præit, idemque quodam sermone *d* infinuat animi puritatem singularem in ista sententia, & omnium virtutum complementum agnoscit, quod Prophetæ tantam sermonis præsidentiam conciliet, supplicii simul tamen cum prece, ne improbis dæmonibus, ac temerariis, & inconsideratis appetitionibus, & protervis cogitationibus dedatur.

o in Ezech. 28.6
p in Matt. 6. 23. & seqq. *q* 2 Reg. 8. 15
r 1. Cor. 5. & 7. 5.
s Matth. 19. 27. & seqq.
t Plu. in Apoph. Socrat. Cicer. de orat.
u Eph. 6. 12. *x* Gen. 5. 24 Sap. 4. 10 Ebr. 11. 5 *y* Gen. 9. 21. *z* cap. 19. 31. & seqq. *a* Exod 4. 24 & seqq. *b* Num. 12. 1. & seqq.
c Esa. 38. 2. & seqq. 4. Reg. 20. 1. & seqq. *d* homil. 32. ad pop.

Ain.) Non est dissensio in hujus litteræ ע *bhain* vocabulo, quin oculum, ac fontem significet. Et verum est, quod lex illuminet oculos, totumq; corpus actionum lucidum reddat, ac velut scaturigo honestatum fluenta semper actionum derivet: nec non in hac valle lacrymarum, lacrymas manare faciat pias ex oculis ardentioris cupiditatis, ut magis magisq; quantum fieri possit, eadem lex observetur. Oculatus quisquis legis studiosus, ut ejusdem caveat Domnia impedimenta, prolpiciat adjumenta cuncta *providet Dominum in conspectu suo semper e*, semper oculos ad Dominum levet, & in illum elevatos, intentosque gerat. Postremo fons est oculus bonorum multorum, ut & malorum, nisi caverimus, quemadmodum pluribus elegater differit Ambr. Oculum veteres non Deum modo ipsum, ac Dei verbum, sed justitiam quoq; esse affirmabant: justitiam enim Platone *f* teste, antiqui sacerdotes omnium speculatricem, ac vindicem oculum appellabant, à quo qui rectè judicare vellet, oculos flectere non deberet. Chrysippus eidem justitiæ assignabat oculos acies, intentos, immotos. Poeta etiam quidam cecinit *g*,

Notio litteræ hhain.

Justitia oculus *f* 9. de legib.

ἕστω δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάντ' ὁρᾷ,
Est qui tuetur cuncta justitiæ oculus.

e Psal. 16. 8
f Job. 17. 8
g Diphil. in comad. apud Petr. 1. 33. fol. 233

Item:

ὄμμασι γὰρ καθορᾷ πάντα τὰ χἠτερ μέτα.
Cernunt, omnia qua fiunt lumina justitia.

Prodit quoq; Pierius *h* ex Arriano, Bithynos judicia ex adverso Solis sedentes exercere consueviße, & ex Proclo justitiam è medio Solis throno per cuncta propagari, dirigere, moderari: deniq; nonnullos in facienda dictis fide justitiæ oculum attestari. Valebat ad idem nomen hebraïci, luciferique attributum eidem apud Aristotelem *i*, & quod justitiam afferit virtutes in seße omnes compleCti; nimirum ut fons aquas continet, quas emittit.

h supra.

i 5. Ethic.

tit. Igitur de judicii, justitiæque, ac legis gens peculiariter laude Vates noster, merito oculi, & fortis litteram ע *bhain* præfixit. Cetera mis, quem vocant Hieronymum hinc ordiitur homiliam tertiam: quod verus Hieronymus profecto non faceret.

Feci judicium & justitiam.) Aquila, V. & VI. editio, κρίσιν. Symmachus, κρίματα, *judicationem, judicia*. Præter dicta de phrasi ipsa, dubitari non potest, quin absolutè loquendo *facere judicium & justitiam*, importet actum secundum, qui est actus habitualis virtutis, intellectus, & voluntatis, atq; quum de Principe dicitur, innuit actum puniendi, & præmiandi: sic Heus dixit, quod *in cunctis diis Ægypti judicia faceret a*, & Vates noster de eodem quod *cognosceretur judicia faciens b*. Observatur quoque dignum, quod Augustinus tradit, quamvis judicium possit esse tùm rectum, tùm pravum, seu aut bonum, aut malum, aut justum, aut iniquum, sicut etiam Judex; cum justitia nonnisi recta & bona, quemadmodum justus quisquis est, continuò bonus esse intelligitur: nihilominus consuetudine Scripturæ nomen quoque *judicii* de bono dumtaxat teorsim usurpari, hoc est, de actu justitiæ. Docet etiam, quod *judicium & justitiam facit*, id est, opus justitiæ, sive judicium justum, qui habet in se justitiam, id est, opus gratiæ, sive qui habet justitiam, quam facit in homine Deus, qui justificat impium, hoc est, per gratiam suam ex impio facit justum; juxta illud *c*, *justificati gratis per gratiam ipsius*. Ex quibus Augustini verbis apertè colligitur, justitiam, per quam sumus justi, esse infusam à Deo, habitualem & inhærentem.

a Exod. 12. 12
b Psal. 17
c Rom. 3. 8

Non tradas me calumniantibus me.) Hieron. *ne derelinquas me his, qui calumniantur me* לעשקי *lehhoshekai*, ὡς ἀδικοῦντές με. In Psalterio Romano, apudque Arnobium, & Cassiodorum, *persequentibus me*. In vetere Psalterio & apud Hilarium, August., Prosperum *nocentibus me*: quamvis apud Hilarium legatur præterea, *persequentibus*: & Augustinus hanc ultimam lectionem referat, ac nostram; seque mirari dicat nullos codices habere, *adversantibus*, quod est Græcè ὡς ἀντιδίκους quum sine controversia quod Græcè ἀντιδίκους, hoc Latinè *adversarius* appellatur. Atqui in nullo codice Græco aliter est, quam habet editio nunc nostra, ὡς ἀδικοῦσι. *Calumniari* ἀδικεῖν, & שקק *bhasaiah*, non tantum, nec tam ad injurias verborum pertinent, etsi has præse magis ferat Latinum verbum, quam rerum & factorum & ad vim, ac iniquam quam oppressionem, qsamdamque tyrannidem. Nihilominus veriu sequéti exponunt LXX. per συκοφαντίας & in 134. per nomen συκοφαντίας quemadmodum & in libro Ecclesiastæ *d* nomen עשק *bhoseh*.

d cap. 7. 8

Vers. 122.) Suscipe servum tuum in bonum, non calumnientur me superbi.

Sensus loci.

UT non tradas me calumniatibus me, nec hi qua sunt superbia, & fastu, & omnem justitiam judicium, legem, voluntatem tuam spernentes audeant amplius me calumniari, aut certè ne jure id possit, aut ne me dejiciant præcipitetve in ruinam, & vi exigant quod non habeo, effice quæso, Domine mi Deus, ut quemadmodum seciße me judicium, & justitiam conscius mihi sum, sed munere, auxilioq; gratiæ tuæ, sic in eodem instituto perseverem, & proficiam, digneris me suscipere, tollevare, erigere, pro me spondere, eligere, aptare, ordinare, dirigere ad bonum, & confirmare in bono per eamdem gratiam tuam, servi me numero habere, ut bonum ubiq; in nomine semper placeat mihi, nec aliud libeat, quam quod bonum, & placitum est ante te Dominū meum: nam sicut neminem timet, vel trepidat, non castra, non prælia, non pugnas, qui Deo utitur protectore, vitæ suæ illuminatore, salvatore *e*, & quem ille *juxta se ponit f*, ita negligit convitia, calumnias, injurias, probra, blasphemias, maledicta omnia, quilquis solo delectatur bono, & boni, honestique Auctore eodem de Deo, pro minimo habet, ut ab *homine judicetur, aut ab humano die g*, *nec hominis diem desiderat h*, id est, favorem illius, utve placet ei, (quamvis explicent alii de die calamitoso, qui congruat homini, אנוש *enos*) non quærit cuiquam placere, præterquam Deo; aut nonnisi in bonū propter eumdem, sciens non posse se aliter *Dei servum esse i*. Calumniatores istos superbos, non homines dumtaxat, sed etiam dæmones, intelligunt Patres, qui dæmones adversus Deum ipsum exaltare se ac superbire non dubita verint, *in cælum* velle *ascendere, super sidera cæli ponere sedes suas: super montes alios, qui sunt ad Aquilonem, ascendere super nubes, fieri similes Altissimo k*. Comparationem illam à majore ad minus tractat elegantèr Ambrosius. Qualis ad verinm servulos Dei poteßt superbus esse, qui adversus Deum se exaltat? Quid mirum, si gravare homines poteßt, qui pervicaci spiritu nec Deo cedit? Quomodo mensuram veritatis, & fidem in hominem servabit, qui sacrilego, impudentique mendacio, omnipotenti se Domino adæquandum esse promittit? &c. Subdit, quod quos non potuerit circumvenire, calumniatur invidens regni cœlestis gloriam, ut quos illecebris suis à Christo non potuit separare, eos calumniis suis debiti honoris fructu fraudare conetur. Tandem docet, fugiendum malum, & confugiendum ad Dominum, si velis, ut te diabolus, & superbus Pharao, qui se Dominum nescire jactabat *l*, demittat, sicque Dominus in bono suscipiens, non patiatur calumniis subjacere. Superbiam eamdem diaboli Hilarius aliis testimoniis demonstrat Etaiæ *m*, & Matthæi *n*, quum quod hic narrat, ausus est Deo, ac Domino nostro Jesu Christo offerre, tamquam eorum Dominus, omnia regna mundi. Calumniatores item diabolos (quod nomen ipsum hoc sonat & in Apocalypsi *o* ratio ejus innuitur) ait propterea esse, quia quum ipsi incentiva peccati suppeditant calumniam nobis ante Deum peccati, quod per eos gesserimus, intenduntq; causſam peccati, ad crimen injeientes, & criminis invidiam per calumniam exacerbantes. Alias rationes alibi attuli, ob quos calumniator censeatur diabolus, tum calumniando apud homines Deū, tum Deum apud homines, tum homines inter se. Susceptionem in bono Arnobius, (ita enim legit) & electionem, quia videtur, *elige* legiße, in bono interpretatur in Christo, ut in hoc Deus eligat servum suum, id est, mundum totum, sive homines universos, ut eis nou calumnientur immundi spiritus, qui tenent chyrographum peccati; sed veniens Christus deleat illud, excludens inimicitias *p* superborum. Augustinus, & post eum alii, præter diabolum, qui calumniatus est Jobo apud Dominum *q*, hominum calumnias hic fumendo, eas peculiariter intelligi volunt quibus calumniantur, à nobis mortuum coli, tùm Judæi, tùm Gentiles item propritas singulis hæreticis hæreses suas; tandem superbiam schismaticorum adversus compagem membrorum Christi: omnium horum colubrosi venena vinci, cum vigilantissima, & diligentissima pietate Christus crucifixus attenditur, sicut olim conspectu serpentis ænei exaltati morsus venanti serpentum curabantur *r*: & hoc sibi velle sequentis versus verba, *Oculi mei defecerunt in salutare tuum*, &c. Trevetus quiddam simile dicit de calumnia Gentilisū contra Judæos quod ab iis coli negarint Deum quia invisibilem se colere profitebantur: & idcirco iisdem exprobrabant, *Ubi est Deus vester?* Ulus est hoc signo, sive symbolo, Alex. Papa IV. *s*.

k Esa. 14. 13. 24
l Exod. 5. 2
m cap. 10. 27
n cap. 4. 8. 9
o cap. 12. 9. 10
p Colos. 2. 14
q Job. 1. 9. 10 11
r Num. 21. 8. 9 Joan. 3. 14
s Alphons. Ciacco in vita.

Suscipe servum tuum in bonum.) Hieron., *sponde pro servo tuo in bonum*, id est, ut explanat Trevetus, sponsor & fideijussor sis pro me; quod bene facio, observando legem tuam, & non in vanum, ac inutiliter, ut dictitant idololatræ, eo quod non colo visibilem, & corporeum Deum. Hoc ipsum aliter alii declarant, ut Deus veluti sponsor, vas, fidei jussor, suscipiat servi sui tutelam solvat quodam modo nexu alienæ servitutis, atque servitiæ spondeat & respondeat tamquam pro obligato ære alieno, vindicet, & liberet ab onere injustè impositio, satisfaciat, si sit opus, vendicanti, aut usurpant sibi jus in servum suum. Hoc est quadam ratione constituere Deum ipsum servū ejus, cui pro alio spondeat; sicut Judas agens cum Ægypti Principe, quem nesciebat esse Josephum fratrem suum, de alio fratre suo, pro quo spondebat, dixit *t*, *Ego propriè servus tuus sum, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi*. Vertunt alii, *obtesta servum tuum bono, dulce fac servo tuo, id, quod bonum est, fac ut servus tuus bono oblectetur, fac dulcem servum tuum in bono*, id est, fac ut servus tuus applicet animum potius ad honestatem, virtutemque, quam ad turpes cupiditates: vel fove servum tuum, & effice, ut benignè te secum agere sentiat: da, ut suavem se omnibus exhibeat; quod postremū Avendanus optimè profequitur. Adhuc nonnulli transferunt, *congruere fac servum tuum bono, apta, dirige, redde aptum*, seu *idoneum adres bonas* Hebraicè צברך לטוב ערב *bharou haudde Xaletou*. Varia notio est verbi ערב *bharau*. Universè significat *commiscere*, & applicatur ad commixtionem pacti, conventionis, contractus com-

t Gen. 44. 32

e Psal. 26. 1
f Job. 17. 3
g 1. Cor. 4. 3
h Jer. 17. 16
i Galat. 1. 10 Rom. 15. 1
i 5. Ethic.

commercii, &c. præterea ultra res hujus generis, ad quid-libet, quod voluntati, sensibusq; competat, hos quasi conciliando devinciendo, oblectando. Interpretatus est quoque Aquila, & Theodotio, ἐγγύησαι, spondе: in qua significatione dictum Hebræum utitur pat Ezechias in Cantico ubi legimus a, *Domine, vim patior, respondе pro me.* ערבני *hhoreheni*: & pro *vim patior* עשקתי *hhasheckah li* quod est nomen calumniæ, ac violentiæ, ut priore versu dixi. Symmachus, ἀναδέξαι, recipe; quod LXX. ἔργεται, apud Psalterium autem vetus, Hilarium, Augustin., *excipe*: & addit Hilarius *me*, sicut & Symmachus ἀναδέξαι. In Romano Psalterio & Ambrosiano, apudq; Arnobium, *eligе*: & apud hunc, *in bono*: quia videlicet legerunt ἀγαθόν, pro ἀναδέξαι. Hoc vero ipsum ἀναδέχεσθαι Enarratores Græci præsertim Euthymius & Nicephorus, fere declarant προσκαρτέρησον, ἀνάσχου μακροθύμησον, *morem velut gere, suffer, longanimis esto*: quod Apollinarius reddidit *ut quæ mancas aut expectes*. Translationem de sponsione Chrysostomus, Theodoretus Basilius (nomina diversa, non tamen personæ, saltem quod attinet ad Basilium: accipiunt ita, ut Propheta fidei jubere Deum pro te velit, fibi q; minimè mentienti credi, quum promittit legis observationē, quæ absolutè res bona est, & singulari Dei beneficium sic fidei jubere, præstando vires, ut quod promiserit aliàs, præstare possit. Reperitur ἐκδέχεσθαι pro *expectare*, & *recipere*, *excipere*, *suscipere*, ἀναδέχεσθαι: præterea valet etiam *recipere*, ac *suscipere in se*, sive *promittere, spondere, vadem præ-dem i sponsorem se constituere*. Quem sensum patitur cum Hebræo verbo Latinum *suscipiendi*: unde nomen quoq; *susceptoris* eodem spectans. Græcum deniq; ἐκδέχεσθαι citato prius Genesis loco b, ubi est item verbum Hebræū quod habetur hoc loco, *In meam hunc recepi fidem & spondi*; quamvis juxta sententiam integram Texeus Hebr. & Græci, Judas significet se suscepisse puerum Beniamin à patre suo Jacob, pollicendo se ad eum reducturum. *Gratiam fidejussoris* nostri Christi *obtulisse non debemus*: c *dedit enim animam suam pro nobis*: & *defixit spondens apud extraneum manum suam* d in cruce, non unam, sed utrumq; pedem. De sensu satis constat, & quod non significet nunc ita per se, ut solet alias, verbum *suscipiendi, juvare, auxiliari*, & similia: nisi quatenus quum quis alium suscipit quovis eum officii, & beneficii genere, afficere intelligi potest, sive rem gratam, & acceptam facere. Non discors admodum illa psalmi e alterius sententia, *Fac meum signum in bonum*. Utrobique dicitur, in *bonum*, ut *faciat Deus signum in bonum, ut suscipiat in bonum*, hoc est, ita ut cedat in bonum, quum nihil faciat nisi bonum, & multis tamen propter culpam suam vertatur in malum.

Non calumnientur me superbi.) Alia Psalt. & Patres; *ut non calumnientur*. Et alii in dativo *mihi*. Dixi paullo ante, quos superbos intelligere oporteat: & priore versu, quod hic exponatur Hebr. vocabulum per συκοφαντίας, de quo egi alias. Memini etiam aliquando f dixisse, quod hic notatur à Chrysostomo, quotquot divina mandata non observant superbos in Scriptura dici, & quoslibet peccatores: ut è contrario per humiles, mites, mansuetos, pauperes spiritu intelligi solent omnes justi.

Vers. 123.) Oculi mei defecerunt in salutare tuum, & in eloquium justitiæ tuæ.

Senſus loci.

DEclarat & confirmat, quam ardenter optet suscipi tamquam servus à Deo in bonum, ut in uno dirigatur, delectetur, perseveret, nulla superborum calumnia impediatur: quia oculis perpetuò intentis, ac defixis, præque vehementia desiderii, ut auxilium etiam præbeatur contra calumniatores, quodammodo deficientibus, inhiet totus in salutem, ac in promissionem ejusdem justissimā, fidelissimamq; quam Deus proposuit facienti judicium, & justitiam in quibus ipse hactenus exercuit se, vultq; omnino in eorundem exercitio, quoad vixerit, & ad salutem dictam pervenerit, perdurare, quantumlibet alii calumnientur, quos tamen non sine molestia magna sentiat. Præcessit pridem in hoc psal. g sententia sim lis, *Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum superspera-vi: defecerunt oculi mei in eloquium tuum dicentes: Quando consolaberis me?* Inde quæ huc faciunt, repeti possunt. Utroliq; oculos licet intelligere mentis, & corporis. Nam quod ad istos attinet, attenuatos Ezechias cecinit, quum h *suspicerens in excelsum* h auxilii nempe causa. Scribit etiam de se Hieronymus i multas fudisse lacrymas, cœloque inhærentes oculos habuisse. Hi fontes oculorum sunt *littera* octonarii præsentis ע *bhain*, ut initio dixi, designati, quos Vates deplorat ob effusionem jugem lacrymarum, & æstum desiderii prope defecisse, contabuisse, exaruisse, Ambrosius cum Hilario & aliis, defectum istum oculorum in Dei salutare, referunt ad præstolantes adventum Christi, ad eum modum, quo quis in eo, quem diligit, toris corporis oculis occupatur, nec quidquam aliud videre eum delectat. Eloquia quoq; justitiæ accipit Ambrosius de Evangelicis, quæ longè superant vetera perfectione, tum in se, tum propter gratiam, quam continent, & amorem potius, quam timorem tametsi in oculo gemino ad sinistrum timor, amor spectare possit ad dextrū: quos oculos observat in baptismo Joannis, & Christi; *in Ænon*, ubi baptizabat ille κ, interpretaturque oculum suppliciorum, & in litteræ nostræ nomine *bhain* quam simpliciter *oculum* significare, ut videt, inquit idem gratia intenditque meritum regni cœlestis, veluti purior, & superior, ac pleniorem sibi iponsi, quem vulnerat, acquirens charitatem l. Concedit tamen etiam nunc utiles esse nobis ambos oculos, quia non à primo homines possunt esse perfecti: sed per processum virtutis ascendunt. Quod valet adversus negantes bonum esse, ac honestum timorem pœnarum, non tantum licitum. Notat etiam Hilarius *eloquium justitiæ* hic dici contra illos, qui nonnulla damnant ut injusta in divinis litteris, dum intelligere non possunt: sicque ait significari omnia hæc eloquia justitiæ adventu salutaris Dei, & consummanda, & intelligenda. Fatenda ignorantia, & nescire nos quid agere debeamus: propterea *hac solum habere residui existimare* debemus ut *oculos nostros ad Deum dirigamus* m. Hoc melle illuminantur oculi, sicut Jonathæ n: ad hunc *Solem justitiæ* o, hebetiores, humidioresque ceu lacertæ, oculi exacuuntur: ad *eumdem accedendo illuminati, non confundun-tur* p: non caligant, non deficiunt, nisi quatenus moderatione in cernendo utentes, tanti se luminis excellentia superari deprehendunt: intuendo fixe in mysticum serpentem æneum, de quo prius dixi, cum Augustino, morsus calumniarum non veremur, & attendendo ad eloquia divinarum scripturarum, quam justa, quam vera, quam fidelia sint, facilè omnia toleramus.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum.) Chaldaicè, *sperauerunt in redemtiones tua*. סברו לפרקנך *sebaru le-phur hanah*. Diu intenti spectantis oculi in locum, unde opem sperant, deficiunt, velutique tabescunt præ lassitudine, quem admodum antea dixi de oculis Ezechiæ. Hugo distinguit oculos discretionis, vel prævisionis, præterea intentionis, provisionis, concupiscentiæ, corporales. Bonaventura verò in copiosiore Commentario contemplativum, & activum. Adhibet præterea distinctionem in ardentes charitate; deficientes contritione; videntes considerationе legis, ut ad eam dirigant actiones. Sed & defectum, ut in malam partem accipitur, significatque affectus remissionem, oriri docet, quum deficiunt exempla virtutis, eloquia veritatis, auxilia pietatis.

Et in eloquium justitiæ tuæ.) In promissum justum: in quodlibet verbum contentum intra sanctam Scripturam quod sanctum & justum est, quatenus à Deo inspiratum, licèt fortassis non intelligatur à multis, aut etiam prima specie videatur minus æquum, & cum ratione congruens. Defectus hic in salutare Dei, & in eloquium justitiæ ipsius indicat quod trascendunt vires naturales, quæ non sufficiunt ad illud consequendum, ad hoc perficiendum, attendendum voluntate oportet in illud, ad hoc intelligendum, sicut debet. Possent nihilominus ut placet Brunoni Carthusiani *salutare* ac *eloquium* eamdem legem significare salutarem, atque justam: defectus autem, ut scribit Alcuinus, denotare, non quod intentio desiderantis animi victa succubuerit, sed quia in expectationem gratiæ Dei toto mentis ardore transierit.

Vers. 124.) Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam, & justificationes tuas doce me.

Senſus loci.

VIderi potest quodammodo primi versus præsentis octonarii sententiam per alios usq; ad istum corruisse, vel temperasse. Nam quum ibi perinde ac si nimiū sibi tribueret, seq; laudaret, dixisset feciſſe se judicium, & justitiam; posita supplex flagitavit, ut susciperet eum

DEUS

DEUS in bonum pro sua bonitate, confirmando ipsum A in bono, tuendoq; à calumniatoribus, qui facilè possent aliquin impedire: exposuit quoq; vehementiam desiderii, quasi nondum potius esset ea perfectione, quam videbatur de se prædicasse. Nunc inculcat nolle rationem haberi meritorum propriorum, sed misericordiæ divinæ, & ut secundùm istam Deus doceat ipsum justificationes, seu facere judicium, & justitiam diligentius quam adhuc fecerit & agnoscere quod non ipsi nos, sed nos Deus justificat, omnia q; in vero judicio, & justitia operatur in nobis & in omnibus. Tenderat priore versu oculos ad salutem, & ad eloquium justitiæ Dei; modo eadem sibi postulat sub vocabulis *misericordiæ*, atque *justificationum* divinarum, profitens se servum egentem misericordia, & discipulum, cui sit necessaria doctrina. Crebro admodum in Psalterio toto, ac in hoc ipso ps. gemina ista deprecatio continetur, *misericordiæ*, atque *doctrinæ*, quibus voluntas perficiatur, & intellectus, homoq; totus. Misericordiam ait post Hilarium Ambrosius, sibi deferri posse: justitias aut justificationes doceri, quia nostrorum conscii peccatorum, misericordiam magis petere Dei nostri, quam justitiam implorare debemus: & quamvis aliquid boni fecerimus, plura debemus, quam servi: & quum fecerimus quod nobis imperatum est, non statim nos exaltare, sed magis humiliare, quia non statim si aliquid fecerimus, implevimus omnia servitutis obsequia a. Quis tanta naturæ munera, subdit idem Ambrosius vitæ, salutisq; servatæ divina beneficia digno possit æquare servitio? Quis potest solvere quod accepit? Observat ad hæc Hilarius, quum Propheta dicit, *fac*, videri non debere inolens, nec tamquam ex fiducia aliqua præsumptionem usurpatam poscendi, nec impudenter dictum ab eo, qui te judicium, & justitiam feciſſe asserit, qui te excipi in servum deprecatus est, cujus oculi in salutare Dei, & in eloquium justitiæ defecerunt; qui in ec ipso quod dixit, *fac*, adjecit, *cum servo tuo*, qui servitutem suam ad id ipsum, ut in servitutis fide mancat, misericordia Domini indigere profitetur. Verumtamen adhibe cautionem; quum legis apud eumdem naturæ nostræ officium esse ut aggregare se in familiam Dei, & velit, & coeperit: divinæ misericordiæ ut volentes adjuvet, incipientes confirmet, adeuntes recipiat; ex nobis initium esse ut illa perficiat. Non est à nobis propriè principium ullum veræ dispositionis ad justificationem: sed *omnis sufficientia nostra ex Deo est*, exq; auxilio gratiæ ipsius, quod attinet ad universum ordinem justificationis, qui & ipse supernaturalis est, aut in entitate, aut saltem in modo. Si quæ bona moralia possumus per solas naturæ vires; juvant illa quidem, sed ut remotæ, & minus proprie dictæ dispositiones, vel merita nec ita expressum de illis extat promissum divinum, ut propter illas, aut si adsint, conferat Deus auxilia gratiæ suæ, ac demum justificet. Subjicit idem Hilarius doctrinam justificationum spectare ad eruenda mysteria, quæ latent in lege Moysis, nec est humani ingenii hæc consequi posse: sed cœlesti opus est magistro, & plurimis nostræ fidei meritis necessarium est, ut doceri ista mereamur. Infert Bruno, ac Hugo ex verbis, *fac cum servo tuo*, &c. liberum in nobis arbitriū ac si, inquit Bruno, diceret David: Ego in quantum valeo per liberum arbitrium, in lege tua bene operor: ceterum quia per me tum insufficiens, fac secundùm misericordiæ tuam, ideſt, secundùm auxilium misericordiæ tuæ, cooperando mecum servo tuo, quumq; sic mecum cooperando in lege tua, me justificaveris: *doce me justificationes tuas*, id est, fac me non hoc mihi adscribere, sed doce interiori illuminatione has tuas esse, non ex me. Hoc ultimum elicit etiam August. Remigius, alii. Quod ad primum autem attinet, confirmat Hugo, quoniam *Dei adjutores* dicimur b; & reprehendit dicentem, si Deus daret mihi voluntatem, ego facerem hoc, vel illud. Affert exemplum de rustico, qui flens rogabat Dominum, ut saccum suum, qui ceciderat, levaret: cui dixit quidam transiens, Stultè conare levare saccum & applica humerum tuum ad saccum, & tunc juvabit te Dominus ad levandum. Ambrosius ait, nullum esse justum, qui non hanc possit usurpare sententiam, *fac cum servo tuo secundùm misericordiā tuam*: quia nemo sine peccato. Inde fit Jovinianum, Pelagium, Vvicleph um, alios que recentiores etiam hæreticos nullam agnoscentes inter mortale, ac veniale peccatum differentiam, errare, nam vere quoque justus absque peccato non est, præterquam illud deget misericordia Dei.

Fac cum servo tuo secundùm misericordiam tuam.) Sicut misericordia tua larga est, ait Bruno, ita mecum quoque large cooperare. Secundùm eamdem misericordiam petitit alias David, ut *Deus meminisse dignetur* ipsius c ut *misereretur* d, ut *vivificare* e, infra f, *vocem audire*. *Facere autem secundùm misericordiam*, est agere, ac procedere cum misericordia, gerere, se, atque tractare misericorditer & benignè in qua vis re, negotiove. Quamquā videtur Propheta potissimum velle ut oculi, quos dixit *defecisse in salutare Dei*, & *in eloquium justitiæ* illius illuminentur, quod etiam sequentia hic important verba.

Et justificationes tuas doce me.) Hieronymus, *præcepta* תקיך *chuhbeha* Συστάσεσιν. Ambrosius legit, *justitias*, de quibus vocabulis actum aliàs, *docere justificationes*, ut modo dicebam, est oculos deficientes, recreari lumine illarum, atq; divini eloquii & lætitiæ salutaris, ut doccre possit hoc munere præditus *iniquor vias Domini* g. Sic videri posset Propheta scilicet anti, *quid vis, ut faciam tibi?* respondere: *Domine ut videam* h: & illud, quod extat in alio psalmo *i unam petii à Domino, hanc requiram, ut videam voluptatem Domini* (aliàs *voluntatem*, in cujus cognitione, ac adempletione summa voluptas:) præterea quod Philippus tanto post poposcit *k ostende nobis Patrem & sufficit nobis*, scilicet, ut *ejus voluntas fiat sicut in cœlo & in terra* l. Posset videri conjungendam hoc præcedenti membro, ita ut non seorsim postulet David misericorditer secum agi, postea doceri justificationes, verum eam sibi præstari misericordiam, ut illas doceatur: idque ipsum non quod mereatur petat, sed ut concedatur per misericordiam Dei. *Fac cum servo tuo secundùm benignitatem tuam, ut mandata tua doceat me.*

Vers. 125.) Servus tuus sum ego, da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Senſus loci.

REm eamdem perens repetit, quam proximè præcedente versu, totiesq; in aliis petierat, & humilem servi conditionem replicat, quem oporteat Deo servire tamquam Domino: id autem non posse, nisi probè teneat voluntatem ejus practica notitia, quæ secum impleçat voluntatem propensam & ad exequendam adjutam. Simili ritulo creationis idem oraverat Propheta, quum diceret hoc ipso ps. *m: manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmaverunt me. da mihi intellectum, ut discam mandata tua*: item *tuus sum ego, salvum me fac*. Hoc quasi stipendium servitutis, remunerationemq; à Domino exigit, ut ait Ambrosius, doceri, & scire voluntatem Domini, ut qui non potest idem esse servus ejus, & peccari, possit istud cohibere. Perpendit autem Hilarius, neminem esse, qui non vel in orationis suę prece, vel in communium sermonum cōsuetudine servum se esse fateatur: sed professionem ceterorum fallacem esse quæ quum habet conscientiæ necessitatem, non habet tamen confectionis veritatem: proprium hoc Prophetæ esse, ut se servum Dei profiteatur in omni vitæ genere, famulatu conditionis suæ fungens, sive ambulans, sive redens, sive vigilans, sive dormiens: in cibo etiam, atq; in jejuniis Deo aut esuriat, aut satur sit, & nullo in tempore, à servitutis suę officiis absistat: non posse liberè dicere, & verè se Dei servum, qui stupris dormit latrociniis vigilat, quæstibus peregrinatur, luxui requiescit: hinc proficeri quidem quod est, sed quod non est agere. Ceterum de hoc honestissimo honoratissimoque, & splendidissimo servitutis divinæ elogio, dictum sæpe, quodque cuivis quo amicior Deo, conveniat magis. Itaq; servus nescíens, quid faciat Dominus ejus, nec proinde amicus est, cui Christus *quæcumq; audivit à Patre, notam fecit*; nondum adhuc insignem pervenit castri, reverentialis, sponsalis, filialis, titulum, perfectionemque servitutis, timorisve, quem *charitas foras non mittit* o, sed includit, sed fovet, sed intendit. *Spiritum* adhuc *servitutis, & servilem habet in timore* p, cui necessarium est nosse, quid velit Dominus, ne illum offendens, *vapulet* q: rationes eorum, quæ vult, arcanaq; consilia, & mysteria Solis communicari amicis consueta, percipere ipsi non conceditur. Quamquam verissimè scribit hoc loco Augustinus: numquam intermittenda est ista petitio: non enim sufficit accepisse intellectum, & Dei testimonia didicisse, nisi semper accipiatur, & quodammodo semper bibatur de fonte lucis æternæ. Testimonia quippe Dei, quanto sit quisq; intelligentior, tanto magis, magisque sciuntur. Idem habet, paucis mutatis, Prosper, tum hic, tùm in sententiis. r Nemo non intelligens, nemo tam doctus est, ait hoc lo-

co,

a Esa. 38. 14

b cap. 43. 3

c Eccles. 29. 19

d Prov. 6. 1

e Psal. 85. 17

f in Ps. 21. 9 & 1. Par. 5. 5

Qui divina mandata non observant superbos Scriptura vocat.

g vers. 81

h Esa. 38. 14

i epist. 22

k Ioan. 3. 23

l Cant. 4. 9

m a Paral. 20. 12

n 2. Reg. 14. 8 27

o Malac. 4. 2

p Psal. 36

Principium veræ dispositionis ad justificationem non à nobis sed à Deo est

a Luc. 17. 10

c Psal. 40. 7

d Psal. 50. 3.

Psal. 68. 17.

Psal. 108. 26

e Psal. 118. 88

f vers. 149

g Psal. 50. 15.

h Luc. 18. 41

i Psal. 26. 4

k Joh. 14. 9

l Matt. 6. 10

m vers. 73

n vers. 94

o Joh. 25. 18

p Rom. 8. 15

q Luc. 12. 47

Justus absque peccato non est.

b 1. Cor. 3. 9

r Nemo non intelligens, nemo tam doctus est, ait hoc lo-

s Sent. 27

co, qui hac postulatione non egeat: non enim horum do norum ita ulla augmenta sufficiunt, ut non semper superfit quod & intelligi desideretur, & sciri. In sententiis vero inquit: Nemo tam erudi tus, nemo tam doctus est, qui supernæ illustratione non egeat: non enim ita ulla divinorũ bonorum augmenta sufficiunt, ut non semper super sit, quod mens rationalis & intelligendum desideret, & gerendum. Paulus orabat discipulorum conuersationem *a, ut charitate eorum magis, ac magis abundaret in scientia, & in omni sensu b: ut impleretur agnitione voluntatis Dei in omni sapientia, & intellectu spirituali c: ut Deus impleret in ipsis omnem voluntatem bonitatis, & opus fidei in virtute d: ut possent comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum: scire etiam super eminentem scientiã charitatem Christi, ut implerentur in omnem plenitudinem Dei e.* Vacui sunt ergo charitate, veraq; scientia Dei, qui certos in hac vita terminos istarum rerum, & perfectionis præfigunt Begardi, & Beguinæ, simile quic, ultra quos progredi, & proficere nequeamus: sed in iis consistamus: de quo errore memini nos fecisse mel. Conducit hæc etiam eadem non parum contra ingratos, sive contra gratiæ impugnatores. Utitur Cassianus *f*, qui alioquin haud omnino rectè de hac re sensisse creditur, hoc testimonio, scribens, quod ipsum intellectũ David, quo mandata Dei posset agnoscere, quæ utiq; in libro legis noverat esse perscripta, à Domino postulat promereri: & quod qui utiq; & intellectum semel sibi per naturam præstitum possidebat, non itiam quoque mandatorum Dei, quæ descripta tenebantur in lege: utiq; habebat in promtu: tamen ut hanc plenius apprehenderet, Dominum deprecatum esse quum sciret, nequaquam sibimet sufficere posse id, quo i per naturã conditionis infertum est nisi quotidiana Domini illuminatione ad intelligendam spiritualiter legem, ac mandata ejus aperti us agnoscenda, sensus ipsius ab eodem esset illustratus. Subsicit alia Scripturarum loca, tũm illum ex Paulo *g*, *Sufficientia nostra ex Deo est*: quod minus Latinè, inquit, sed expressius dici potest, *Idoneitas nostra ex Deo est*.

Servus tuus sum ego.) Alibi *h* bis appellat se *servum*, & *filium ancillæ* Dei. Bonaventura observat servorum interesse, ut serviant, obediant, custodiant; circumstantias vero servitutis esse, ut sit operosa, timorosa, morosa, idest, perseverans. Richardus Victorinus, quem hic citat Hugo Cardinalis, serviendum ait Deo Creatori jure nativitatis, & creationis, sive conditionis: obsequendum Regi ex reverentia majestatis: jure quo necessario belli, quia servavit nos: subjici nos debere Salvatori, qui nempe præterea muneribus gratiæ, gloriæque nes ditat ex debito, ac fervore charitatis: sed ut prænouni, hæc de re egi alibi.

Da mihi intellectum.) Hieron. *instrue me*. In versu 73. *doce me* quum sit utrobique תבינני *bavneni*, & συνίσησόν μου. Quare nomen *intellectus* pro vi, & facultate intelligendi naturali non sumitur, ut eo loco docui. Perinde ait esse Bonaventura, ac si petet David, ut ad pinguiorem serviendi gratiam proficiat, *sapientiam sedem Dei assistrices* i in parte, ac vi rationali, ne deficiat per errorem: constantiam in concupiscibili, ne deficiat per favorem, fiduciam in irascibili, ne deficiat per pavorem. Denique *intellectum* sumit pro sensu triplici Scripturæ mystico, idest, pro allegorico, anagogico, tropologico, qui figillatim serviant fidei, spei, charitati.

Ut sciam testimonia tua.) Hieron. *, & cognoscam*, &c. Sed γνῶ atq; γνῷ, quæ hic habentur, non raro habent usum particulæ causalis. In textu Prosperi lego *ut discam testimonia tua*. In textu Cassiani, *κ, ut discam mandata tua*. Uterque confudit præsentem locum cum versu 73. ubi est *ut discam mandata tua*, ἵ μαθόσομαι τὰς ἐντολάς σου. Cassianus quidem totum. Prosper vero transtulit verbum *discam*. Textus præsens est ἵνα γνῶσομαι τὰ μαρτύριά σου. Hebr. etiam differunt, ואלמדה מצותיך *ve-elmedah mitsvotheha*: hic ואדעה עדותיך *ve-edehah hhedotheha*. Quid valeat nomen *testimoniorum*, sæpius indicatum est. In Illyrico Psalterio, *ut doceat consiliis tuis*, aut *consiliis tua*.

Vers. 126.) Tempus faciendi, Domine, dissipaverunt legem tuam.

Sensus loci. URgeri se sentiens necessitate divini auxilii, doctrinæq; ad versus calumniantes, de quibus bis meminit in hoc octonario: & nunc vim, ac impetu eorumdem amplias serte non valens, eo quod legem ab illis dissipatam cernat, ita ut nihili eam faciant, nullam ejus partem servent, cuncta præcepta transgrediantur, exemplo etiã, consilio, violentia, ceteros, ac ipsum ad idem pertrahant: his, inquam, de causis urget Deum David, nec patitur fieri moras, ut a liquando tandem opituletur, tum concedendo lactenus petitum intellectum, doctrinamve & suscriptionem, seu confirmationem in bono, vel protectionem, atq; misericordiam; tũm coercendo dictos persecutos, & puniendo. Ultimum de impiorum punitione Græcis passim placet pluribusque recentiorum: & videtur propius pertinere ad sensum litteralem, cumquo reliqua etiam bene congruunt, quæ modo dixi. Et Ambrosius alibi *i* scribit sic loqui Prophetam, petendo accipere sensum ad cognoscenda Domini testimonia: quod videlicet proximè præcedente continebatur versu. Præterea facit eodem, quod anonymus Græcus ab Agellio recitatus exponit, si quando maximè, tunc tempus esse faciendi nobis, idest, Deum colendi legemque servandi, quando contemnitur magis Deus, lexque ipsius; ut idcirco eniximus flagitet Propheta dari sibi intellectum, scientiamque practicam testimoniorum Dei, rationem, modum, facultatem, & custodiendi vires, pro veritate ad mortem usque certandi, & fide, quam impii turpissimè abnegant, & blaphemant.

Adhuc sensus est, nunc esse *tempus acceptabile, dieique salutis* m, ac *instantes operandum quodcumque invenire potest manus nostras quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo properamus* n: tamen plurimos, præmentia, nihil de hac opportunitate cogitantes, de que tempore visitationis suæ, & die, *quo adpacem ipsis est* o, dissipare, & transgredi legem Dei. Sic tempus faciendi aut & nos refertur, ut ipsi faciamus quod muneris nostri est; aut ad Deum, ut ipse faciat, vel beneficiis affficiendo, vel castigando; idque sive in præsenti, sive in futura vita quum acceperit tempus, ut justitias judicet *p*.

Posset etiam quinto *tempus faciendi* accipi de malis: quasi Propheta diceret, hoc videri *tempus horamve illorũ, & potestatem tenebrarum* q: nunc illis concessũ, ut faciant, idest prosperentur: ita enim quandoque *faciendi* sumitur verbum *r*, propterea per summam licentiam, ac violentiam dissipasse legem Dei: tanto magis necessarium sibi quem flagitat intellectum, scientiamque.

Sexto similis de impius sensus est, illos, quum maximè opportunum esset, faciendi, hoc est, colendi Deum, (*facere* namque non raro in scriptura, & apud profanos Auctores valet *sacrificare*) & operam, laboremque ipsi impendere, eo in primis tempore legem dissipavisse. Id Esaias *s* queritur, nempe gaudio vacasse, & lætitiæ vitulis occidendis, jugulandis ariet ibus, comestioni, & compotationi, quum Deus ad pœnitentiam vocaret. *Nemini dat Deus spatium peccandi*, sed pœnitendi: *sed abutuntur eo homines in superbiam* u, & *thesaurizant sibi iram* x. Cum Larinis Chrysostomus quoque tradit mysticum sensum de tempore adventus Christi, videlicet ut quamprimum ipse veniat, quodque hactenus satis docuit verbis, & mandatis, quæ tradidit per alios, ipsemet loquutus in aliis, loquatur per seipsum y, faciat, quod est pollicitus verbis ore proprio profatis docea:, sed multo magis exemplis, & factis, edat miracula gratiam largiatur, qua possit lex, ut debet, impleri quia hi, quibus data fuerat, Judæi penitus eam violaverunt. Exemplum dat Ambrosius, ut si ingravescente ægritudinis alicujus incommodo, curras ad Medicum, ut citius veniat, ne postea subvenire non possi: quia Medicus tunc amplius desideratur, quum gravis incubuerit ægritudo languenti. Confirmat peculiari exemplo mulieris illius Evangelicæ, quæ omne patrimonium suum in Medicos erogaverat, & cui fluentem sanguinem, & inverteratæ passionis lethale profluvium non poterant iæculi hujus Medici restringere z. Addi potest is, qui rogabat Jesum, ut *descenderet, priusquam moreretur filius ejus* a. Annotat item Ambrosius, tametsi omnia Deus tempore faciat, nihil extra tempus, sed opportune, ac suo tempore, velle a nobis admoneri, & rogari: immo si rogatus fuerit, & ante tempus venire: sicut venit ad siculneam Christus *b*, & nondum veniſſe horam suam rogatur à matre respondit, quæ nihilominus monuit ministros facere quæcumque ille diceret, & ipse fecit quod ante distulerat. Recte Arnobius inducit sic loquentem Davidem nomine aliorum Prophetarum, Sanctorumque veterum. Tempus est, ut veritas: perdissipata est ab iniquis lex tua, idest, à Judæis, qui

a Matth. 15. 3

b Rom 11. 32 Quod facinus incarnationis tempus maxime opportunum.

c Gal. 4. 4 d Gen. 15. 16 e Isa. 40. 2 f Psal. 6 g Psal. 10. 14

Magna virtus peratio sacro tempore prævaricari

1. Reg. 19. 2 1. Reg. 19. 10 & Tob 1. 4 1. Machab. 2. 65. 66. 67. 2. 2, & segg. m Jerem. 13. 16 n Gen. 19. 10 o 2. Cor. 6. 1. & segg. p Psal. 71. 2 q Nahum. 1. 8 r 2 Epiphan. haref. 30 s Cant. 2. 2 u 2. Pet. 3. 9 x Apoc. 2 3 y Joh. 1. mor. cap. 1. z Serm. 48. in Cant. Titulus per fectæ virtutis; inter pravos vele vere boni,

qui eam secipientes dissipaverunt eam, sua præcepta, sicut arguit Dominus a, statuentes, & traditiones hominum custodientes, legem vero Dei contemnabant. Dissipaverunt iniqui legem tuam, nullus credit, omnes, declinaverunt, *Vens Domine, quia tempus faciendi misericordiam concludo omnia incredulitate, ut omnibus misereatis* b. Disputatur à Theologis, quod fuerit maximè opportunum tempus incarnationis. Id autem præsertim respondent fuisse, quo propter inolita peccata, & magis perspectam propterea illius necessitatem, gratior, & magis accepta futura videbatur. Hoc argumentum, quod Cassiodorus monet inter violentissima præcepta Rhetores ponere, quando, ut preces audiantur, adjuvat tempus aptissimum, indicant verba ista tempus faciendi *Domine, dissipaverunt legem tuam. Hoc est plenissimo tempore* c, quum sunt *completæ iniquitates mundi* d, *completa malitia, & demissa* e proinde *iniquitates* e: tunc *exsurrexit propter miseriam inopum, & gemitum pauperum Deus* f; & misertus est *quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus* g. Ex illo alio leniu de tempore opportuno faciendi, quod absolutè poptam rectè ad opus pietatis, & religionis applicatur elici potest, quanta B quanta latus prævaricantibus aliis, Deo adhærere, quemadmodũ fidi amici destituto adhærebant Davidi *h*: Elias *zelo zelabatur Solu: relictus i*. Tobias cæteris adorantibus vitulos, *pergebat in Jerusalem ad adorandum Deum* k: Machabæi, quum reliqui cultum Dei derelinquerent, tunc maximo zelo illius, ac legis succendebantur *l*: Job in terra Hus inter gi idololatras, verus Dei cultor erat *m*: Loth in Sodomis *n*: Noe in mundo universo *o*: Abraham inter Chaldæos *p*: Nazianzenus, & Basilius inter adolescentes Athenienses *q*: Joseph Comes inter Arianos Scythopolitanos Catholicus unus *r*. Hoc est, *esse filium inter spinas* s; *luminaria in mundo* t: tenebricoloi: *lucernas in caliginoso loco* ut habitando ubi *sedes est Satanæ tenere nomen Dei, nec negare fidem illius* x. Immensi præconii est bonum etiam inter malos existere, ubi scribit Greg. *y*: non mediocris, ut Bernardus *z* titulus perfectæ virtutis inter pravos vivere bonum, & inter malignantes innocentiæ retinere candorem. Non desunt ætate nostra tales, orthodoxè degentes inter gentes quæ Deum non noverunt, & piè, justè, sobriè C viventes, interim vera sentientes, malis autem operibus dissentientes. Proprio autem quodam modo transferri locus hic posse mihi videtur ad illos, qui quo tempore bacchantur Christiani alii, & saturant se Saturnalibus, recipiunt ipsi se in templa pereos dies ornatiora, vel Sacramentorum causa, vel orationis, vel divini verbi. Faciunt illi felicet, & in serio versantur religioso divino negotio secundùm id tempus, quo tempore dissipatur, dilaceraturque lex Dei, licentia, & impudentia effrenatiore. Et vero qui revolvet cogitationem ad priorum monumenta gestorum, comperiet sanctiores vel homines, vel etiam hominum inigeros ordines tunc præsertim extitisse, in eoque tempore, quo magis peccatores dissipabant legem Dei. Postremo utiliter digredi liceret in captandã temporis opportunitatem, tempusque bene collocandum & transigendum, ut quod Bonaventura admonet, in eo plangamus, acquiramur, acquisita custodiamus.

Tempus faciendi Domine.) Hieronym., *tempus est*: ut *facias Domine*. Alii, *tempus in Jehova vel Domino*, idest ut ipse faciat, nempe quod petit, vel judicum de improbis: vel ut exerat vires, complea tque opus suum, aut misericordiæ aut vindictæ. Nebiensis, *tempus est ut faciat Deus*. Sic alloqueretur seipsum Propheta, excitans ad serviendum Deo. Felix: *tempus faciendi Domine*: nempe est, ut puniat impios: vel *tempore ut faciant Domine dissipaverunt legem tuam*, hoc est, tempore, quo deberent facere Domino, nimirum servando præcepta præsertim tempore tenebrarum, quæ est suprema bene agendi opportunitas, dissipaverunt legem, vel *tempore faciendi Domine*, quod est tempus gratiæ maximè acceptum, &c. vel *tempus faciendi Domino* ut ego faciam ei ac serviam: nam alii *dissipaverunt legem tuam*. Græcè καιρὸς τοῦ ποιῆσαι τῷ κυρίῳ, in dativo casu. Hebraicè עת לעשות ליהוה *heth la'asoth lajhovah*: ubi ante nomen Dei ל *lamed* iæcilis littera infervit dativo, & potest etiam genitivo infervire. Chaldaicè, *tempus est faciendi voluntatem Domini*. Symmachus καιρὸς τοῦ κυρίου *tempus clamandi Domino*, vel ut Dominus clamet indignando dissipantibus legem suam: vel ut Propheta clamet ad Dominum, opem ipsius implorando, ut scientiam testimoniorum concedat, & vim, constantiamque illa custodiendi, quia dissipatur à tam multis. Sed ne-

scio quid Hebraicè legerit, ut *clamare* reddiderit. Vetus Psalterium legit dativum, *Domino*: nec non Hilarius, & Augustinus: Hic vero facies mentionem nostræ lectionis, ait multo plurium codicum esse illam aliam. Magis perspicua est nostra, propter continuum sermonem qui habetur cum Deo, qui sermo interrumpitur, si non legas *Domine*, in vocativo: nisi velis supplere, *tibi Domine*, *Faciendi* porrò verbum dixi multa referri, multaq; significare posse. In Genesi *a* quod extat Latinè *non percutiam* Græcè *οὐ μὴ ἀνομόσω, non perdam* dicitur Hebr. לא אשחת *lo ehhsoth, non faciam*. Videlicet alii interpretes expressè runt lenium, non quod seorsim verbum Hebr. significet *perdere, delere, occidere* & similia. Quandoque tamen idem verbum valet *confringere, conterere, contundere, consumere*. Apud Sophoniam *bi ecce ego interficiam*, per participium עשה *bhoseh*: sic hoc loco *tempus faciendi* posset exponi, *tempus conterendi, consumendi*, &c.

Dissipaverunt legem tuam.) Hieron., *prævaricati sunt* עברו *hebru*. Quod alii exponunt, *nihil fecerunt*, & significat præterea *irritum facere, confringere, conterere*, Chaldæus sensu valde diverso, *adduxerunt discipulis legem tuam*, vel juxta Nebiensem, *augeto discipuli legem*, & in priore membro, *tempus est faciendi voluntatem Domini*, quia *adduxerunt discipuli legem tuam*, illam complendo, & perficiendo: aut augete qui profitemini vos discipulos Domini, legem, ut scilicet non tantum id, quod illa præ se fert faciatis, sed ad mentem ejusdem operemini, & completis latentem in ea perfectionem. Pro *διεσκέδασαν* habet Symmachus in præsenti cum adverbio temporis *ὅτε διέλυσαν ἄνομοι* quando dissipant. Aquila *ἐνόμισαν* irritam *fecerunt*. Allusio egregia in Hebræis verbis, quatenus, non tantum, quod extat in isto membro, sed etiam, quod in priore significat *confringere*, & similia. Sic enim sensus est, tempus esse tandem, ut Deus confringat illos, qui co afregerunt legem ipsius.

Vers. 127.) Ideo dilexi mandata tua super aurum, & topazion.

Vers. 128.) Propterea ad omnia mandata tua dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

Sensus loci. UT quamprimum Deus opituletur, sive suscipiendo ipsum in bonum, faciendo misericordiam, docendo justificationes, dando intellectum, scientiamq; testimoniorum; sive sumendo vindictam, aut coercendo dissipatores, ac transgressores legis: qui & offendunt Deum volentes legem custodire persequuntur, atque impediunt præter ea, quæ prius dixit de suo met studio circa legẽ, ut faceret judicium, & justitiam, oculique ipsius defecerunt præ desiderio, ac expectatione cœlestis auxilii, adjicit nunc quanto magis abhorrent improbi à divinis mandatis, tanto magis vacant commodis propriis, & voluptatibus per fas, & nefas; tanto se magis, & ardentius dilexisse eadem mandata, & prætulisse auro, atq; topazio, & cuivis lapidi pretioso, omnibus quidivitiis, & quibuscumq; rebus, quas hæ parere solent. Item asserit ex illo tam vehementi amore, qui non fuit inanis, ociosusve, factum, ut illa ipsa D mandata omnia, nullo excepto studeret diligentissimè servare, per viam illorum recta incedendo, nec declinando aut ad dexteram, aut ad sinistram; præ oculis hunc sibi scopũ proponendo in omni opere suo, istam æstimando unicam, & summam prosperitatem, bonumq; maximum, quod intendere deberet, Deo placere in omnibus quem prævaricatores illi ad iracundiam provocabant: nulla comparando, nedum præferendo, alia bona hominis ulla ex parte his bonis, quibus ipse sit bonus homo. Postremo affirmat se pari odio, & execratione fugisse ab omni via iniqua, & qualibet lege carnis, mundi, diaboli, peccati æqualem curam adhibuisse, ut hæc prioribus bonis adversantia mala, præsertim vera quia contraria sunt voluntati Dei, vitaret. Explicat Ambr. de dilectione veterum mandatorum, ut spem futurorum bonorum deserebant, & evangelica mysteria continebant redemtionis resurrectionisq; præterea de obedientia Dominicæ passionis super sapientiam operationis cœlestis, & mundanæ constitutionis super ornamenta Solis & Lunæ, stellarumq; pretiosa monilia: negat avarum dicere posse mandata te divina diligere super aurum, & topazion, quoniam auro incubat, divitiis inhiat, ornamenta desiderat; sed eum, qui

Avarus mandata Dei super aurum non diligit.

a Gen. 18. 29

b cap. 3. 19